

## ANHANG 3

## ZEUGNISSE DER VITA ANTONII UND DER PERSON 'ANTONIUS'

## A. Lateinische Bearbeitungen griechischer hagiographischer Texte

- A1**<sup>892</sup>      **Rufinus, *Historia Monachorum***      **um 397**
- A1-1<sup>893</sup>      [De Pithyrione] Hic ex discipulis beati Antonii fuit et post illius obitum cum sancto habitaverat Ammone.
- A1-2<sup>894</sup>      [De Cronio] Hic ex discipulis adhuc beati Antonii supererat, cuius inter ceteras animi virtutes humilitatis gratiam vidimus inmensam.
- A1-3<sup>895</sup>      [De Origine] Erat autem et alius adhuc ex discipulis Antonii, Origines nomine.
- A1-4<sup>896</sup>      [De duobus Macariis] Narrabant autem nobis quidam ex patribus, qui ibi erant, quod in locis illis duo Macarii quasi duo coeli luminaria refulsissent, ex quibus unus Aegyptius genere et discipulus beati Antonii fuit, alius Alexandrinus. Quibus ut vocabula nominis ita virtutes animi et caelestium gratiarum magnificentia concordabat. Uterque enim Macarius uterque abstinentiae exercitiis et virtutibus animi aequaliter pollens, hoc solo alius praecellens, quod quasi hereditatem gratiarum et virtutum beati Antonii possidebat.
- A1-5<sup>897</sup>      [De Ammone] Initium sane habitationis monasteriorum, quae sunt in Nitria, sumptum tradebant ab Ammone quodam, cuius animam cum exisset e corpore vidit ferri ad caelum sanctus Antonius, sicut refert scriptura illa, quae vitam describit Antonii. (...) Beatus autem Antonius in summa admiratione vitae eius iustitiam atque animi eius virtutes habuisse memoratur.
- A1-6<sup>898</sup>      [De Paulo] 1. Fuit quidam inter discipulos Antonii Paulus nomine, cognomento Simplex. Hic initium conversionis suae huiusmodi habuit.  
 2. Cum uxorem suam oculis suis cum altero cubitantem vidisset, nulli quicquam dicens egressus est domum et maestitia animi actus in eremum semetipsum dedit, ubi cum anxius oberraret, ad monasterium pervenit Antonii ibique ex loci admonitione et opportunitate consilium capit.  
 3. Cumque adisset Antonium, ut iter ab eo salutis inquireret, ille intuens hominem simplicis naturae respondit ei ita demum posse eum salvari, si his, quae a se dicerentur, oboediret. Tum ille omnia quaecumque sibi praeciperet facturum se esse respondit.  
 4. Ut ergo promissionem eius probaret Antonius, ante fores cellulae stanti, hic, inquit, expecta me orans donec egrediar. Et ingressus mansit intrinsecus per totam diem et per totam noctem; per fenestram tamen ex occulto frequentius respiciens videbat eum indesinenter orantem et nusquam prorsus moveri, sed stare in aestu diei et rore noctis et ita esse mandati memorem, ut ne parum

<sup>892</sup> Siehe für die Datierung: Schulz-Flügel 1990; Simonetti datiert die lateinische Übersetzung auf 404 (Simonetti 1961, IX).

<sup>893</sup> Rufinus, *Historia Monachorum* XIII 2

<sup>894</sup> Ibidem XXV 5,2

<sup>895</sup> Ibidem XXVI 6,1

<sup>896</sup> Ibidem XXVIII 1,1-1,2

<sup>897</sup> Ibidem XXX 1,1/3,8

<sup>898</sup> Ibidem XXXI

quidem loco moveretur.

5. Egressus autem die postera Antonius intituere eum et docere de singulis coepit, quomodo opere manuum solitudinem solaretur et digitis quidem corporis opus carnale, cogitatione vero mentis et animi intentione operaretur quae dei sunt.

6. Cibum quoque sumere in vesperam praecepit, sed observare, ne usque ad saturitatem veniret et praecipue in potu, confirmans non minus per aquae abundantiam fantasias animae fieri quam per vinum calorem corporis increcere.

7. Et ubi plene eum, qualiter in singulis agere deberet, instruxit, in vicino ei, hoc est a tribus milibus, cellulam constituit ibique eum exercere quae didicerat iubet, ipse tamen frequentius visitans gratulabatur deprehendens eum in his, quae sibi tradita fuerant, tota intentione et sollicitudine permanentem.

8. Quadam autem die, cum venissent ad sanctum Antonium fratres magni quidam et perfecti viri, accidit etiam Paulum adesse pariter cum eis. Et cum sermo de rebus profundis et mysticis haberetur cumque de profetis et salvatore plurima tractarentur, Paulus ex simplicitate animi interrogat, si Christus prior fuerit an profetae.

9. Beatus vero Antonius cum pro eo, quod tam absurde interrogaverat, quasi erubisset, blando motu, et erga simpliciores solet, silere atque abire eum iubet. Ille quia omne, quod ab eo utcumque dictum fuisset, tamquam praeceptum dei servare instituerat, abscedens a cellulam suam tamquam mandato accepto silentium gerere instituit nec omnino aliquid loqui.

10. Quod cum conperisset Antonius, mirari coepit, unde illi haec observantia placuisset, quam a se sciebat non esse mandatam. Cumque iussisset eum loqui et cur siluerit indicare, tu, inquit, pater, dixisti mihi ut irem en silerem.

11. Et obstupefactus Antonius ita ab eo sermonem, quem ille neglegenter protulerat, observatum, omnes, inquit, nos iste condemnat. Cum enim nos de caelo nobis non audiamus loquentem, ab isto qualiscumque sermo, qui ex ore nostro ceciderit, observatur.

12. Multa tamen et sanctus Antonius docere eum volens oboedientiam praecipere ei solitas erat etiam quae ratio et causa non posceret, in quibus eius animus erga oboedientiam probaretur.

13. Haurire namque aliquando eum aquam iussit ex puteo et in terram tota die effundere et contextas sportellas resolvere ac denuo texere et vestimentum resuere atque iterum suere et rursus resolvere et in plurimis huiusmodi exercitiis ab eo memoratur inbutus, ut in nullo prorsus etiam eorum, quae contra rationem imperari videbantur, disceret contradicere. Et ita per haec omnia informatus brevi ad perfectionem venit.

14. Ex cuius exemplo beatus docebat Antonius, quod si quis vellet velociter ad perfectionem venire, non sibi ipse fieret magister nec propriis voluntatibus oboediret, etiam si rectum videretur esse quod velit, sed secundum mandatum salvatoris observandum esse, ut ante omnia unusquisque abneget semetipsum sibi et renuntiet propriis voluntatibus, quia et salvator ipse dicit: ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui me missit.

15. Et utique voluntas Christi non erat contraria voluntati patris, sed qui venerat oboedientiam docere non inveniretur inoboediens, si propriam faceret voluntatem? Quanto ergo magis nos non iudicabimur oboedientes, si faciamus

proprias voluntates?

16. Denique supradictus Paulus exemplo nobis est, qui oboedientiae et simplicitatis merito in tantum spiritalium gratiarum culmen ascendit, ut multo plures et potentiores virtutes per ipsum deus quam per sanctum Antonium fecerit.

17. Et quoniam pro affluentia gratiarum multi ad eum ex omnibus terrae partibus confluebant, ut curarentur ab eo, verens beatus Antonius ne molestia multitudinis fugaretur, in interiorem eremum, quo accedi facile ab aliquo non posset, commanere eum fecit, ut venientes magis ipse suscipere Antonius.

18. Si quos vero ipse non potuisset curare, hos ad Paulum tamquam prolixiorum sanitatum gratiam habentem mittebat et ab illo curabantur.

19. Tantam autem simplicitatis eius fuisse apud deum fiduciam tradunt, ut quodam tempore, cum quidam rabiem patiens in modum canis laniaret omnem, qui ausus fuisset accedere et perductus ad eum fuisset, insistebat orationi, ut daemonem qui eum urgebat fugaret.

20. Et cum mora fieret nec celer sequeretur effectus, quasi infantum more indignatus dixisse fertur ad dominum: vere non manducabo hodie, si eum non curaveris. Et continuo quasi delicioso dominico satisfactum est a deo et statim curatus est rabidus.

**A2 Palladios von Helenepolis, *Historia Lausiaca* /  
Heraclides Alexandrinus, *Heraclidis Paradisus***

**6. Jh.**

A2-1<sup>899</sup> Sanctus iste Isidorus, qui benedictum quondam vidit Antonium, dignam rem memoria litterarum retulit mihi, quam ab ipso se dicebat audisse

A2-2<sup>900</sup> Qui cum me cogere quondam ut orationem in cella ipsius facerem, nec tamen ejus acquiescerem jussioni, hoc referendo dicebat: Ad istud, inquit, hospitium ter benedictus Antonius, dum me visitare dignatur, ingressus est; et rogatus a me ut in hoc loco flecteret genua et precem funderet, statim fecit, ac secundo noluit se rogari, ipsis me rebus docens sanctorum voluntatibus obedire.

A2-3<sup>901</sup> Ille vero major Arsisius, et alii multi cum ipso senes sanctissimi, quos et ipse tunc vidi, ejusdem temporis cujus et beatus Antonius erant; qui nobis etiam sanctum Ammonem Nitriotem se nosse dicebat; illum, cujus animam dum ab angelis ferretur ad coelum, vidit Antonius.

A2-4<sup>902</sup> De hoc illud miraculum sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus retulit, in eo opere quo vitam descripsit Antonii, quod cum aliquando una cum Theodoro discipulo suo Lycum nomine fluvium cupiens transfretare, erubesceret sibi vestimentum detrahare, ne nudum unquam suum corpus aspiceret, subito sine navi in alteram fluminis partem angelo vehente translatus est. Iste igitur Ammon ita vixit atque obiit, ut ipsius animam sanctus videret Antonius, cum ab angelis ferretur ad coelum.

A2-5<sup>903</sup> Saepe autem et cum mensium spatia fluxissent, nec sic quidem responsum quaerentibus dabat, adhuc se non asserens pervenisse ad notitiam veritatis. Tam

---

<sup>899</sup> Palladios von Helenepolis, *Historia Lausiaca* I

<sup>900</sup> Ibidem I

<sup>901</sup> Ibidem II

<sup>902</sup> Ibidem II

<sup>903</sup> Ibidem II

diligentes autem cautasque secundum Deum sententias proferebat, ut eas omnes tanquam ab ipso Deo prolatas suscipere. Hanc enim Antonium quoque illum magnam in suis sermonibus perhibent habuisse virtutem.

A2-6<sup>904</sup>

Chronius mihi Nitriae presbyter aliquando referebat: Cum essem, inquit, adhuc juvenis, et fatigatus spiritu acediae, quodammodo mente languerem, de archimandritae mei monasterio fugi, et usque ad Antonii montem errando perveni. Sedebat autem ille in ultimo solitudinis, inter loca quae Babylonis et Herculis habent nomen, unde itur ad Rubrum mare, prope triginta millibus a fluvio separata. Cum ergo venissem ad monasterium ejus, quod propinquum flumini erat, ubi discipuli ipsius in eo qui Pispir appellatur loco, Macarius et Amatus sedebant, quique supradictum virum defunctum sepelierunt, per quinque ibidem exspectavi dies, ut Antonium sanctum viderem. Dicebatur autem ad monasterium ipsum venire saepissime, aliquando post decem, aliquando etiam post viginti, interdum post quinque dies, prout illic eum exhibisset Deus multis qui confluebant ad idem monasterium profuturum.

A2-7<sup>905</sup>

[Chronius ad Eulogio] Ad quem illi his verbis loquuntur: Dum adhuc vivit et superest magnus ille (sic enim vocabatur) Antonius, ascende ad eum; aegrumque navi impositum in monasterium ipsius defer, exspectans ibi donec spelunca sua egressus adveniat. Quem cum videris, referes ei ista quae pateris, atque ab eo consilium postulabis. Quidquid autem tibi super hoc dixerit, facies, et ejus monitionibus acquiesces, sciens a Deo juberi tibi quidquid ille praeceperit. Mox igitur sermonibus fratrum libenter instructus supradictum aegrum blandis precibus superans, littorali naviculae imposuit, sustulitque de civitate per noctem, et ad discipulorum sancti Antonii habitaculum duxit. Evenit autem ut altero die horis vespertinis superveniret illuc sanctus Antonius, referente mihi Chronio quod chlamyde ex pellibus facta indutus adveniret. Solebat autem veniens ad monasterium fratrum, vocare ex ipsis Macarium, eumque his verbis interrogare: Venerunt aliqui huc fratres? Et ille venisse dicebat. De Aegypto, inquit, sunt, an de Jerosolyma? hoc autem signum ab his jusserat dari, ut quoties aliqui non satis digni colloquio ipsius advenirent, venisse Aegyptii dicerentur. Quoties autem sancti quidam et spirituales viderentur viri venisse, de Jerosolyma nuntiarentur. Tunc ergo veniens juxta consuetudinem suam, cum interrogasset utrum Jerosolymitae illic fratres, an Aegyptii essent, respondit Macarius dicens, ex utroque illic quosdam genere se vidisse. Cum autem didicisset Aegyptios venisse, dixissetque illi sanctus Antonius: Fac illis lenticulam, et sumam cibum una cum eis; oratione completa, jubebantur abscedere. At cum Jerosolymitas venisse didicisset, per totam cum ipsis noctem sedens ea illis quae salutem eorum proficerent loquebatur. Memorata igitur eum nocte sedisse referebat, et unumquemque ad se de iis qui convenerant evocasse.

Cumque a nullo quis illic Eulogius vocaretur audisset, ipse in tenebris propria voce suo illum nomine ter vocavit. Cui cum supradictus scholasticus non responderet, putans quod alter aliquis Eulogius vocaretur, dicit ei rursus: Te voco, Eulogi, qui de Alexandrina civitate venisti. Dicit Eulogius: Quid, quaeso, jubes? Et Antonius: Quid, inquit, huc venisti? Respondit Eulogius, dicens: Qui

---

<sup>904</sup> Ibidem IX

<sup>905</sup> Ibidem IX

tibi nomen meum revelare dignatus est, ipse jam et adventus mei causam procul dubio revelavit. Tum ille: Quid, inquit, veneris scio, sed ante omnes hos fratres, ut omnes audiant, refer. Jussus igitur a magno Antonio servus Christi Eulogius, retulit ante omnes: Istum elephantiosum in platea publica reperi projectum, cujus curam nullus hominum gerebat, et promisi Deo ut servirem aegritudini ejus, quo possem et ego per illum, et per me ille salvari. Ex quod autem pariter sumus, quintus et decimus annus est, sicut et vestrae sanctitati credo omnia revelata. Quia igitur post plurimos annos, cum a me nihil mali pertulerit, variis me procellis ac tempestatibus vexat, ob quod et ego ipsum a me projicere cogitavi. Propterea ad sanctitatem tuam veni, ut quid ex hoc faciam digneris me tuis edocere consiliis, et orationibus adjuvare; pessimis enim motibus totus fatigor et crucior. Cui hoc tunc Antonius severa atque iracunda voce respondit: Tu illum a te projicis, Eulogi? sed ille non projicit eum qui a se factum esse cognoscit. Projicis eum? meliorem te inveniet, et eliget Deus qui colligat destitutum. Cumque perterritus ad haec Eulogius verba tacuisset, relicto sanctus Antonius Eulogio, rursus coepit aegrotum propriis sermonibus verberare, et haec ad eum cum clamore maximo loqui: Elephantiose, coeno ac luto horride, nec terra digne nec coelo, non desinis in injuriam Dei vociferari. Nescis quia qui ministrat tibi Christus est? quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste servitio tali et obsequiis subjugavit. Quem et ipsum mordaci sermone laceratum reliquit. Conversisque verbis ad fratres alios, ad unumquemque ita, ut ratio singulorum exhibebat locutus, rursus ad Eulogium et aegrotum redit, dicitque eis: Ne quis vestrum, o filii, quoquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram in qua per tantum tempus vixistis redite cum pace, omnem tristitiam ponentes; jam nunc enim ad vos Dominus meus mittet. Nam tentatio ista idcirco accidit vobis, quia ad finem vitae ambo venistis, et jam uterque vestrum merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne forte vos angelus veniens in eo in quo dixi loco invenire non possit, vestrisque coronis fraudemini. Qui cum ad cellam suam velociter redeundo redintegrata pace venissent, intra quadraginta dies Eulogius prior obiit, et post aliud triduum supradictus defecit aegrotus, animo vehementer incolumis.

A2-8<sup>906</sup> Cum igitur hoc Chronius didicisset, obstupuit; sumptoque Evangelio sancto, atque in medio fratrum posito, cum sacramento ipsis per ordinem cuncta exposuit, dicens: Horum omnium quos commemoravi, interpretes fui ipse sermonum, eo quod Graece loqui sanctus Antonius nesciebat; ego autem utramque noveram linguam, atque inter ipsos loquebar, illis quidem Graeco, isti autem Aegyptio ore respondens.

A2-9<sup>907</sup> Hoc quoque Chronius ipse nobis referebat, quod ei sanctus Antonius, in illa ipsa nocte qua beatum dimisit Eulogium, dixisset quia per totum annum Deum deprecatus fuisset, ut ostenderentur eidem per revelationem loca peccatorum atque justorum. Et se vidisse dicebat procerum quemdam usque ad nubes gigantem tetri coloris, extensas manus ad coelum habente, atque infra pedes ipsius lacum ad speciem maris fusum. Ubi tanquam aves, inquit, animas volantes vidit Antonius; et illae quidem quaecunque supra manus ipsius caputque volabant, conservabantur; quaecunque autem manibus ipsius

<sup>906</sup> Ibidem IX

<sup>907</sup> Ibidem IX

repercussae fuissent mergebantur in lacum.

A2-10<sup>908</sup>

[Caput X. Vita Pauli Simplicis, beati Antonii discipuli. Paulus nomine] Rusticus quidam et agriculturae vacans, ultra omnes optimus ac satis simplex, pulcherrimae quidem vultu, sed moribus malae conjunctus uxori. Cum eam per plurimum temporis occulta fraude peccantem, quadam die ex agro revertens turpiter invenisset, subitoque cum alio jacentem viro deprehendisset (unde tamen divina ordinatio memoratum Paulum ad meliorem vitae tramitem provocabat), verecunde aliquantulum risit, tali loquens ad utrosque sermone: Bene, inquit, bene; unde certum sciatis ad me hoc nihil penitus pertinere, et per Jesum qui haec respicit juro, quod ego hanc ulterius non habebō. Vade igitur, erit tua cum filiis suis; ego enim, inquit, ibo, et de reliquo me monachum profiteor. Et post haec nulli quidquam dicens, ascendit octo proximas mansiones, et ad sanctum Antonium pergīt. Qui cum fores ejus ab eo percuterentur, egressus est, et quid cuperet sciscitanti, ait illi: Monachus fieri volo. Respondit Antonius, dicens: Cum sis admodum senex, sexaginta annos agens, monachus hic fieri non potes, sed magis vade ad vicum tuum, et operi cultoris incumbere, ut et vivere operariorum vita, et gratias agere Deo possis; imparem te enim miseris ac labori solitudinum scias. Rursum ad haec senex ille respondit, hoc dicens: Quidquid me docueris, id faciam. Et rursum Antonius, Dixi tibi, quia multum senex es, nec vales implere quod quaeris: discede, et si monachus esse desideras, ad leviora monasteria magis perge, ad eos fratres qui possunt infirmitatem tui corporis tolerare patienter; ego enim hic solus sedeo, post quinque dies, et hoc cum summa inopia, cibum sumens

His ergo et talibus verbis excludere Paulum volebat. Cui cum ille non acquiesceret, intra ostium cellulae se recludit Antonius propter ipsum per triduum jure, nec inde progressus est, etiam cum necessitas corporalis urgeret. Neque tamen ille de foribus tandiu exclusus, abcessit. Quarto igitur die sanctus Antonius cum necessitate naturae compelleretur, egressus est, iterum dicens ei: Vade, inquit, hinc senex, quid molestus es mihi? habitare non potes mecum. Ad quem Paulus hoc dixit: Aliud fieri non potest, nisi ut hic vivam, inquit, et moriar. Circumspiciens igitur huc atque illuc sanctus Antonius, vidensque quod nihil secum ad vitae alimenta portaret, non panem, non aquam, non aliud quidquam, et quod quarto tamen die in continuo jejunio permaneret, timensque ne ignarus longi jejunii nimia defectione moreretur, et aliquam sibi ex hoc relinqueret maculam, tandem suscepit eum. Tali autem conversatione vitae per omnes degere dies coepit Antonius, qualem se non sciebat expertum, nec cum adhuc juvenis videretur. Infusos itaque cortices dactylorum obtulit ei, dicens: Accipe, et intexere funes sicut me ipsum facere vides. Quod cum arripisset senex, et quindecim numero, quas orgyias vocant, nonam usque horam cum maximo labore fecisset, ait illi: Male, inquit, intexuisti; solve quod factum est, et rursus intexere. Et hoc seni homini, et per quatuor dies jejuno tam grave pondus imponens, ut cum ille tanto labori imparem se videret, a sancto tandem Antonio, necessitate tali compulsus abscederet, vitamque desereret monachorum. Qui e contra fortior ad opus surgens, detexuit funes eosdem, et rursus intexuit, maxime cum difficilior iterari operis esset labor, eo quod tortum semel restem retorquere prius et revocare ad formam priorem, et sic iterum intexere aliter

cogeretur.

Videns igitur Antonius quod ejus ista praecepta et libenter senex et patienter audisset, neque aegre iteratum suscepisset laborem, aut in aliquo saltem ad momentum tristem vultum secum murmurando monstrasset compuncta mens ejus est, et occidente jam sole, sic affatur senem: Dic, senex, vis edimus partem panis? Paulus ait: Ut placet tibi, abba. Talis autem rursus et ista responsio flexit Antonium, quod ad nomen cibi non protinus accurrit, sed quod omnia in ipsius qui jubebat posuit potestate. Pone ergo mensam, inquit Antonius, et panes affer. Quod cum obedienter fecisset, posuit eidem sanctus Antonius eos quos Aegyptii paximates vocant, habentes senas uncias, et suam quidem partem perfudit aqua, sicci enim ipsi paximates erant; ante illum autem tres posuit portiones. Et psalmum sanctus Antonius quem consueverat dicens, orationes quadraginta fecit, ut et sic Paulum probaret: qui rursus cum eo patienter ac libenter oravit. Eligebat enim, ut arbitror, cum scorpionibus esse potius quam cum adultera victitare. Post vero duodecim orationes, profunda vix tandem ad manducandum nocte sederunt. Sumpto igitur uno paximate, sanctus Antonius non contigit alium. Senex vero tardius comedens, cum adhuc haberet ex uno paximate aliquantulam partem, exspectatus ab Antonio est, dum totum quod edebat absumeret. Cui rursus hoc dixit Antonius: Manduca senex et alterum paximatem. Respondit ad hoc Paulus: Manducabo et hunc alterum, si idem facere te videro; te non edente, non edam. Ad hoc dicit Antonius: Mihi hoc satis est; monachus enim sum. Respondit ad hoc Paulus: Mihi quoque sufficit; nam et ego monachus esse desidero. Post quae surrexit Antonius, et dictis duodecim psalmis, totidemque orationibus factis, paulisper in principio noctis quievit. Rursusque consurgens a medio noctis usque in lucem psallendo et orando vigilavit. Similiter autem et Paulus fecit. Videns ergo sanctus Antonius tam paratum ad omnia senem, ait illi: Ecce, frater, si hujusmodi quotidie agere vitam potes, mecum manebis. Cui Paulus hoc dixit: Si forte aliquid amplius jubeas ignoro; nam ista quae vidi facile me impleturum esse confido. Sequenti igitur die dixit ei: Ecce in nomine Domini jam factus es monachus. Tum igitur sanctus Antonius posteaquam in omnibus sibi ab eo credidit satisfactum, post certos menses, quia perfectam jam esse animam comprobasset, eo quod habitaret in eo vera et tota simplicitas, gratia eum juvante divina, unam ei cellulam fecit a tertio vel quarto lapide, dixitque ei: Ecce quia jam monachus effectus es, solus mane, ut possis etiam daemones experiri. Intra unum igitur annum illic commanens Paulus, divinam gratiam meruit contra aegritudines hominum et contra daemonum potestatem.

Una igitur dierum cum ad sanctum Antonium quidam fuisset exhibitus, quem scelestus dirissime daemon urgebat, tenens inter caeteros impuros spiritus principatum, qui et contra ipsum sacrilega coelum verba jaciebat; viso eo sanctus Antonius, hoc iis qui eum perduxerant, dixit: Non est istud opus meum; necdum enim divinam gratiam contra principem diabolicae legionis accepi: est hoc quod quaeritur Simplicitatis Pauli. Tunc ipse igitur benedictus Antonius ad memoratum Paulum cum eis qui advenerant perguit; dicitque ei: Abba Paule, pelle hunc daemonem ab hominis istius anima, ut incolumis ad propria revertatur, et Dominum benedicat. Respondit ad hoc Paulus: Tu enim quid? Dicit Antonius: Mihi non vacat, aliud opus exerceo. Relictoquoque eo sanctus

Antonius rursus ad propriam revertitur cellam. Tunc igitur assurgens senex, et orationem intentissime faciens, haec ad eum locutus est qui daemone laborabat: Abbas Antonius dixit ut de homine isto recedas, et glorificet Dominum. Daemon autem in injuriam divinitatis proclamando multa dicebat: Non exeo, detestabilis senex. Arrepta ergo pelle, qua humeros suos tegebat, verberabat eum, repetens ac dicens: Exi, quia hoc abbas Antonius dixit. Injuriosa autem et in sanctum Antonium daemon protulit verba, vehementioresque Paulo contumelias irrogabat, hoc clamitans: Detestandi senes, quod oblivio nostra praeteriit; insatiabiles, qui propriis contenti non estis; quid nobiscum vobis commune est? quid in nos exercetis vestram tyrannidem? Ad postremum sic ad eum locutus est Paulus: Egredieris ab isto, aut vado, et hoc a me audiet Christus. Per Iesum, inquit, si exire nolueris, jam nunc ibo et hoc Christo loquar, et vae tibi erit. Iterum autem daemon ferocior contra Divinitatem vociferari coepit, et dicere: Non egredior. Iratus itaque tunc Paulus contra daemonem reluctantem, egreditur cellam suam in ipsis mediis flammis diei: tales autem sunt aestus Aegyptiorum, ut Babyloniae fornacis ardoribus praeesse credantur. In ipso igitur scopulo montis, velut columna coelestis stetit Paulus immobilis, et his in oratione sua locutus est verbis: Tu vides, Jesu Christe, qui sub Pontio Pilato crucifixus es, quod non ante ego ex hac rupe descendam, non cibum ante sumam, non potum, sic profecto moriturus, quam ex hoc homine immundum spiritum pellas, liberumque eum a tali morte digneris efficere. Quo ista dicente, antequam ipsa haec verba sui oris complisset, maxima daemon voce proclamans, ista dicebat: Vade, vade; exeo, vim patior: ecce discedo ab homine, nec accedo ulterius. Simplicitas me Pauli urget ac prosequitur, et quo eam nescio. Moxque immundus spiritus egressus ex homine, atque in immanem draconem cubitorum septuaginta conversus, in Rubrum mare protinus devolutus est, ut impleretur quod dictum est per Spiritum sanctum, Demonstratam fidem justus refert. Et rursus in alio loco, Supra quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea? Solent enim miserrimi ac vilissimi daemonum a magnis viris solo fidei robore, magni autem daemones a simplicibus vel humilibus fugari.

A2-11<sup>909</sup> Stephanus quidam oriundus ex Lybia in parte eorum locorum quibus Marmaricae et Mareotidis nomen est, per sexaginta annos sedens, usque adeo perfectus factus est monachus, tantumque habuit in discernenda rerum ambiguitate iudicium, ut ejusmodi divinam gratiam mereretur: hoc est, ut quicumque ad ipsum, ex quacunque re tristis aliquando venisset, post visionem ejus atque sermonem laetus abscederet. Notus autem hic et sancto viro Antonio fuit, pervenit autem etiam usque ad nostri temporis dies: quem ego quidem videre non potui, eo quod separabant nos longa intervalla terrarum.

A2-12<sup>910</sup> Jacob etiam nomine aliquis qui Clodus nomen acceperat, ex vicinis eidem conjunctus est locis, unaque ambobus vita perfecta in monasterio erat. Utrosque autem benedictus Antonius norat.

---

<sup>909</sup> Ibidem XII

<sup>910</sup> Ibidem XXXV



**A3** *Commonitiones sanctorum Patrum* **6. Jh.**

A3-1<sup>911</sup> Sanctus ac beatissimus Antonius, uerus in Christo pater monachorum, praecipiebat discipulis suis et saepe monebat eos ut memoriam carnalium parentum ac propinquorum abscederent de cordibus suis et actibus eorum, nullam haberent sollicitudinem, ut libera et expedita mente, absque aliqua sollicitudine corporali, adhaerere Deo anima sine intermissione intentius possit. Valde enim euertitur et exterminatur de huiuscemodi sollicitudinibus stabilitas mentis et in tantum obscuratur lumen cordis, ut nec sentiat quis quantum laeditur et distrahitur anima in diuersis peruagationum cogitationibus. Oportet enim et ualde conuenit ut pro salute animarum parentum ac propinquorum suorum monachi intente semper Dominum exorare non cessent, ut eripiat et saluet eos de superueniente huic mundo ignis aeterno iudicio et ut mereantur habere partem in uero aeternoque lumine iustorum, cum aduenerit Christus, Filius Dei, rex aeternus, in gloria maiestatis suae cum angelis sanctis et cum omnibus uirtutibus et potestatibus caelestibus iudicare uiuos et mortuos in die illo magno et terribili iudicii Dei. Ita enim debent monachi pro suis parentibus interuenire et deprecari Dominum, ut aeternam salutem mereantur accipere in uita perpetua, et regno Iesu Christi Domini nostri sors eorum inueniatur. Amen.

A3-2<sup>912</sup> Fuit quidam eremita Pior nomine, de antiquis patribus, quem beatus Antonius adolescentem in sancto proposito monachorum instruxit. Demoratus autem apud beatum Antonium annos paucos, cumque uiginti et quinque esset annorum, abiit ad alium secretum eremi locum, ut solitarius habitaret, hoc etiam uolente et consentiente beato Antonio. Dixitque ei: Vade, Pior, et habita ubi uolueris et cum tibi per aliquam rationabilem occasionem reuelauerit Dominus, uenies ad me.

Cum autem peruenisset hic ipse Pior ad locum qui situs est inter Nitriam et eremum Sceti, fodit puteum, cogitans apud seipsum: Quomodo qualemcumque aquam inuenero, oportet me ipsa contentum esse. Quod et facta est ad augmentum uirtutum eius talis occasio. Tantum enim falsa et amara inuenta est aqua, ut si quis ad eum uisitandi gratia ueniret, in proprio uasculo aquam sibi portaret. Remoratus est autem in eodem loco annis triginta. Magis enim consuetudo est uiris sanctis contra delectationes proprias repugnare. «Diligentibus enim Deum, sicut dicit Apostolus, omnia cooperantur in bonum», siue enim lucrum inueniant, siue damnum sustineant, etiam et iniurias patienter sustinent et honoribus non exaltantur. Nam et infamia et bona fama omnia eis cooperantur ad bonum. Dicebant ergo fratres ut recederet de loco ipso propter amaritudinem aquae. Ipse autem dixit eis: Si amaritudinem et laborem abstinentiae fugiamus et uelimus requiem in hoc mundo habere, post exitum utiae huius non percipimus illa aeterna et uere dulcia bona, nec fruemur illis perpetuis beati paradisi deliciis.

Dicebant ergo fratres quia unum tantum paximatium et quinque oliuas in cibo accipiebat, et hoc deambulando foris.

Etiam et hoc affirmabant de eo multi sanctorum patrum, quia triginta et amplius annis ex eo quo egressus est de domo parentum suorum, nunquam ei suasum est, etiam cum defunctos audisset parentes suos, ut pergeret ad requirendum

<sup>911</sup> *Commonitiones* 1

<sup>912</sup> *Ibidem* 2

seu uisitandum propinquos suos. Verumtamen soror eius cum esset uidua, habens duos filios iam adolescentulos, misit eos in eremum ad requirendum fratrem suum Piores. Qui curcueutes diuersa monasteria requirentes eum, uix tamen inuenientes eum, dixerunt ei: Nos filii sororis tuae sumus, quae nimio desiderio optat te uidere, ante exitum suum. Ipse uero non acquieuit petitioni eorum. Perrexerunt autem adolescentes ad hominem Dei beatum Antonium, indicantes ei pro qua causa uenissent. Misit autem beatus Antonius et uocauit eum ad se, dixitque ei: Quare, frater, tanto tempore non uenisti ad me? Qui respondens dixit ei: Praecepisti mihi, beatissime pater, ut cum per aliquam occasionem reuelaret mihi Dominus, tunc uenirem ad te. Ecce usque hactenus non mihi reuelatum est. Dicit ei beatus Antonius: Vade ut videat te soror tua. Tunc assumpsit secum alium monachum et perrexit ad locum et domum sororis suae. Et stans foris prope ianuam atrii, clausis oculis, ut non uideret sororem suam, stetit. Illa autem ueniens proiecit se ad pedes eius; de nimio autem gaudio angustata est. Dicit ei beatus Pior: Ecce ego sum Pior, frater tuus. Vide ergo me quantum uolueris. Et post haec statim reuersus est ad eremum in cellulam saum. Hoc autem fecit ad erudiendum monachos, ut non daretur eis licentia cum libitum eis fuerit uisitare parentes uel propinquos suos.

A3-3<sup>913</sup> Multo tempore beatus abbas Pachomius contra immundissimos daemones certamen bonum certauit, sicut athleta ueritatis, tamquam et beatus Antonius. (...)

**A4** **Pelagius und Johannes, *Adhortationes sanctorum patrum ad profectum perfectionis monachorum* 540-555**

A4-1<sup>914</sup> Interrogauit quidam abbatem Antonium, dicens: Quid custodiens placebo Deo? Et respondens senex dixit: Quae mando tibi, custodi. Quocumque vadis, Deum semper habe prae oculis tuis: et in his quae agis, adhibe testificationem sanctarum Scripturarum; et in quocumque loco sederis, non cito movearis. Haec tria custodi, et saluus eris.

A4-2<sup>915</sup> Interrogauit abbas Pambo abbatem Antonium, dicens: Quid faciam? Respondit ei senex: Noli esse in tua iustitia confidens; neque poenitearis de re transacta, et continens esto linguae tuae et ventris.

A4-3<sup>916</sup> Frater interrogauit senem, dicens: Quae res sic bona est, quam faciam, et uivam in ea? Et dixit senex: Deus solus scit, quod bonum est; sed tamen audiui quia interrogauit unus Patrum abbatem Nisteronem magnum, qui erat amicus abbatis Antonii, et dixit ei: Quod opus est bonum ut faciam? Et ille respondit ei: Non sunt opera omnia aequalia. Scriptura dicit: Quia Abraham hospitalis fuit, et Deus erat cum eo. Et Elias diligebat quietem, et Deus erat cum eo. Et David humilis erat, et Deus erat cum ipso. Quod ergo vides secundum Deum uelle animam tuam, hoc fac, et custodi cor tuum.

A4-4<sup>917</sup> Dixit abbas Antonius: Sicut pisces, si tardauerint in sicco, moriuntur; ita et monachi tardantes extra cellam, aut cum uiris saecularibus immorantes, a quietis

---

<sup>913</sup> Ibidem 8

<sup>914</sup> Pelagius, *Adhortationes* I 1

<sup>915</sup> Ibidem I 2

<sup>916</sup> Ibidem I 11

<sup>917</sup> Ibidem II 1

- proposito revolvuntur. Oportet ergo sicut pisces in mari, ita et nos ad cellam recurrere; ne forte foris tardantes, obliviscamur interioris custodiae.
- A4-5<sup>918</sup> Dixit iterum: Qui sedet in solitudine, et quiescit, a tribus bellis eripitur; id est, auditus, locutionis, et visus; et contra unum tantummodo habebit pugnam, id est, cordis.
- A4-6<sup>919</sup> Fratres aliqui volentes venire ad abbatem Antonium de loco Scythi, ingressi sunt navem, ut irent ad eum; et invenerunt in ipsa navi senem, qui idem ad Antonium ire volebat. Ignorabant autem fratres eum. Et sedentes in navi loquebantur sermonem Patrum, et de Scripturis, et rursus de opere manuum suarum. Ille autem senex per omnia tacebat. Cum autem venissent ad portum, agnoverunt et ipsum senem proficisci ad abbatem Antonium. Cum autem venissent ad eum, dicit eis abbas Antonius: Bonum comitem itineris invenistis senem hunc. Dixit autem et seni: Bonos fratres invenisti tecum, abba. Dixit ei senex: Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet januam. Quicumque vult, intrat in stabulum, et solvit asinum. Hoc autem dicebat quia quodcumque eis ascendebat in cor, in ore loquebantur.
- A4-7<sup>920</sup> Facta est aliquando celebratio missarum in monte abbatis Antonii, et inventum est ibi modicum vini. Et tollens unus de senioribus parvum calicem, portavit ad abbatem Sisoï, et dedit ei; et bibit semel; et secundo accepit, et bibit: attulit etiam ei tertio; sed non accepit, dicens: Quiesce, frater, an nescis quia Satanas est?
- A4-8<sup>921</sup> Dixit abbas Antonius: Aestimo quod habeat corpus motum naturalem conspersum in se, qui nolente animo non operatur, sed tantummodo significatur in corpore, quasi impassibilis motus. Est autem et alius motus ex eo, quod nutritur et fovetur corpus cibis et potibus, et ex quibus calor sanguinis excitat corpus ad operandum. Propter quod dicit Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et rursus Dominus in Evangelio discipulis mandans, dixit: Videte, ne quando graventur corda vestra in crapula et ebrietate. Est autem et alius quidam motus certantibus in conversatione ex insidiis et invidia daemonum veniens. Itaque scire convenit quia tres sunt corporales motus. Unus quidem naturalis; alius autem ex plenitudine ciborum; tertius vero ex daemonibus.
- A4-9<sup>922</sup> Frater quidam renuntians saeculo, et dans quae habebat pauperibus, retinens autem pauca in sua ratione, venit ad abbatem Antonium. Quod cum agnovisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, et eme carnes, et impone corpori tuo nudo, et sic veni huc. Et cum sic fecisset frater ille, canes et aves corpus ejus lacerabant. Cum pervenisset autem ad senem, interrogavit si fecisset quod ei dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum, dixit sanctus Antonius: Qui renuntiant saeculo, et volunt habere pecunias, ecce ita impugnati a daemonibus discernuntur.
- A4-10<sup>923</sup> Sanctus Antonius abbas cum sederet aliquando in eremo, animus ejus taedium et confusionem cogitationum incurrit, et dicebat ad Deum: Domine, volo salvus

---

<sup>918</sup> Ibidem II 2

<sup>919</sup> Ibidem IV 1

<sup>920</sup> Ibidem IV 36

<sup>921</sup> Ibidem V 1

<sup>922</sup> Ibidem VI 1

<sup>923</sup> Ibidem VII 1

fieri, et non me permittunt cogitationes meae. Quid faciam in hac tribulatione, quomodo salvus ero? Et modice assurgens, coepit foras exire. Et vidit quemdam, tanquam seipsum, sedentem atque operantem; deinde surgentem ab operibus et orantem; et iterum sedentem, et plectum de palmis facientem, et inde rursus ad orationem surgentem. Erat autem angelus Domini missus ad correptionem et cautelam dandam Antonio. Et audivit vocem angeli, dicentis: Sic fac, et salvus eris. Ille autem, hoc audito, magnum gaudium sumpsit atque fiduciam. Et ita faciens, salutem quam quaerebat invenit.

A4-11<sup>924</sup> Venit abbas Macarius major ad abbatem Antonium in montem; et cum pulsasset ostium, exivit ad eum, et dixit ei: Tu quis es? Et ille ait: Ego sum Macarius. Et claudens ostium intravit, et dimisit eum foris. Et cum vidisset postea patientiam ejus, aperuit ei. Et adgaudens ei, dicebat: Multum tempus est ex quo te videre desiderabam, audiens de te. Et exhibens ei hospitalitatem, refecit eum; erat enim fessus de multo labore. Vespere autem facto infudit sibi abbas Antonius modicas palmas, et dicit ei abbas Macarias: Da mihi, ut ego infundam quod operer. Ille autem dixit: Non habeo plus. Et faciens fasciculum majorem, infudit eum. Et sedentes a sero, et colloquentes de utilitate animarum, faciebant plectam, et ipsa plecta per fenestram descendebat in spelunca. Et egrediens mane sanctus Antonius, vidit collectionem plectarum abbatis Macarii, et admiratus est, et osculatus manus ejus, dicebat: Multa virtus de istis egreditur.

A4-12<sup>925</sup> Frater interrogavit senem, dicens: Quid facio, Pater, quia nihil operer monachile, sed in negligentia quadam sum manducans, bibens, et dormiens, et insuper in cogitationibus turpibus et multa perturbatione sum, transiens ab opere ad opus, et a cogitationibus ad cogitationes? Dixit autem ei senex: Tu sede in cella tua, et fac quod potes sine perturbatione; ita est enim parum quod tu modo facis, sicut quando abbas Antonius magna et plurima faciebat in eremo. Credo enim in Deo, quia quicumque sedet in cella propter nomen ejus, et custodit conscientiam suam, inveniatur et ipse in Antonii loco.

A4-13<sup>926</sup> Audivit aliquando abbas Antonius de quodam juvene monacho quia signum quoddam hujusmodi fecerit in via, id est, cum vidisset quosdam senes iter agentes et laborantes in ambulando, onagris jussit ut venirent et portarent eos, donec pervenirent ad se; illi autem senes indicantes hoc abbati Antonio, dixit abbas Antonius: Videtur mihi monachus iste similis esse navi oneratae omnibus bonis, de qua incertum est utrum pervenire possit in portum. Et post aliquantum temporis, subito coepit abbas Antonius flere, et trahere sibi capillos, et lugere. Quod cum vidissent discipuli ejus, dicunt ei: Quid ploras, abba? Et respondit senex: Magna columna ecclesiae cecidit modo. Dicebat autem hoc de monacho illo juvene, et adjecit: Ambulate ad eum, et videte quod factum est. Perrexerunt igitur discipuli ejus, et invenerunt monachum illum super mattam sedentem, et flentem peccatum quod fecerat. Videns autem discipulos senis, ait eis: Dicite seni ut obsecret Deum decem tantum dierum dari mihi inducias, et spero me satisfacturum ei. Qui intra quinque dies mortuus est.

A4-14<sup>927</sup> Laudatus est quidam frater a monachis apud abbatem Antonium: ille autem cum venisset ad eum, tentavit si portaret injuriam; et cum cognovisset quia non

<sup>924</sup> Ibidem VII 9

<sup>925</sup> Ibidem VII 34

<sup>926</sup> Ibidem VIII 1

<sup>927</sup> Ibidem VIII 2

- posset ferre, dixit ei: Similis es domui quae a facie quidem ornata est, de retro vero a latronibus despoliata.
- A4-15<sup>928</sup> Contigit aliquando fratri in congregatione abbatis Eliae tentatio, et expulsus inde, abiit in montem ad abbatem Antonium. Et cum mansisset aliquanto tempore apud eum, remisit eum ad congregationem unde exierat. Illi autem videntes eum, iterum expulerunt; qui similiter perrexit ad abbatem Antonium, dicens: Noluerunt me suscipere, Pater. Misit ergo senex ad eos, dicens: Navis naufragium tulit in pelago, et perdidit onus quod portabat, et cum labore vacua navis perducta est ad terram. Vos ergo liberatam navim in terram vultis submergere? Illi autem cognoscentes, quia eum abbas Antonius remisisset, statim susceperunt eum.
- A4-16<sup>929</sup> Dixit abbas Antonius: Quia sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia; sed quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo.
- A4-17<sup>930</sup> Fratres quidam venerunt ad abbatem Antonium, ut nuntiarent ei phantasias quas videbant, et cognoscerent ab eo utrum verae essent, an a daemonibus illuderentur. Habebant autem asinum secum, et mortuus est eis in via. Cum ergo venissent ad senem, praevent eos, dicens: Quomodo mortuus est ille asinus in via? Dicunt ei: Unde scis, Pater? Et ille dixit: Daemones mihi ostenderunt. Dicunt ei: Et nos propterea venimus interrogare te, quia vidimus phantasias, et plerumque fiunt in veritate, ne forte erremus. Et satisfecit eis senex, sumpto exemplo de asino, ostendens quia a daemonibus fiunt ista.
- A4-18<sup>931</sup> Supervenit autem quidam venationem faciens in silvam agrestium animalium, et viderat abbatem Antonium gaudentem cum fratribus, et displicuerat ei. Volens autem senex ei ostendere quia oportet aliquando condescendere fratribus, dicit ei: Pone sagittam in arcu tuo, et trahe; et fecit sic. Et dixit ei: Iterum trahe; et traxit. Et rursus dixit ei: Trahe adhuc; et traxit. Dixit ei venator: Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei abbas Antonius: Ita est et in opere Dei: si plus a mensura tendimus, fratres cito deficiunt; expedit ergo una et una relaxare rigorem eorum. Haec audiens venator compunctus est, et multum proficiens in sermone senis, discessit; et fratres confirmati, reversi sunt in locum suum.
- A4-19<sup>932</sup> Frater dixit abbati Antonio: Ora pro me. Et respondit ei senex: Nec ego tui misereor, nec Deus, nisi pro teipso sollicitus fueris et poposceris a Deo.
- A4-20<sup>933</sup> Dixit iterum abbas Antonius: Quia non permittit Deus bella excitari in generatione hac, quoniam scit quia infirmi sunt et portare non possunt.
- A4-21<sup>934</sup> Dicebant senes: Quia in monte abbatis Antonii sedebant septem monachi tempore dactylorum, et unus ex eis abigebat ab eis volucres: erat autem ibi senex, qui in die qua eum dactylos custodire contingebat, clamabat, dicens: Discedite ab intro, malae cogitationes, et de foris aves.

---

<sup>928</sup> Ibidem IX 1

<sup>929</sup> Ibidem X 1

<sup>930</sup> Ibidem X 2 pars 1

<sup>931</sup> Ibidem X 2 pars 2

<sup>932</sup> Ibidem X 3

<sup>933</sup> Ibidem X 4

<sup>934</sup> Ibidem XI 50

- A4-22<sup>935</sup> Abbas Antonius, deficiens in consideratione profunditatis iudiciorum Dei, postulavit, dicens: Domine, quomodo aliqui in parvo tempore vitae suae moriuntur, et aliqui ultra decrepitam veniunt senectutem; et quare quidam egestuosi sunt, alii autem facultatibus ditantur; et quomodo iniusti opulenti sunt, iusti vero paupertate premuntur? Et venit ei vox, dicens: Antoni, ad teipsum intende; haec enim iudicia Dei sunt, et te scire ea non convenit.
- A4-23<sup>936</sup> Dixit abbas Antonius abbati Pastori: Hoc est magnum opus hominis, ut culpam suam super seipsum unusquisque ponat coram Domino, et expectet tentationem usque ad ultimum vitae suae tempus.
- A4-24<sup>937</sup> Dixit iterum abbas Antonius: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra, et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? Et audivi vocem dicentem: Humilitas.
- A4-25<sup>938</sup> Venerunt aliquando senes ad abbatem Antonium, et erat cum eis etiam abbas Joseph. Volens autem abbas Antonius probare eos, movit sermonem de Scripturis sanctis. Et coepit interrogare a junioribus, quid esset hoc vel illud verbum. Et singuli dicebant prout poterant. Ille autem dicebat eis: Necdum invenistis. Post eos vero dixit abbati Joseph: Tu quomodo dicis esse verbum hoc? Ille respondit: Nescio. Et dixit abbas Antonius: Vere abbas Joseph solus invenit viam, qui se nescire respondit.
- A4-26<sup>939</sup> Dicebat quidam senex: Nisi velaret pistor oculos animalis ad molam circumeuntis, converteret se animal et comederet labores suos; ita et nos velamen accipimus secundum dispensationem Dei, ne videamus quae operamur bona, et beatificantes forsitan nosmetipsos, perdamus mercedem nostram. Propterea ergo relinquimur per intervalla temporum semel sic sordidas cogitationes assumere, ut cum easdem cogitationes aspicimus, nosmetipsos iudicio proprio condemnemus. Eae enim cogitationes ipsae, velamen sunt ipsius modici boni operis. Quando autem homo seipsum accusat, non perdit mercedem suam.
- A4-27<sup>940</sup> Venit quidam frater ad abbatem Sisoi in montem abbatis Antonii; et loquentibus eis, dicebat abbati Sisoi: Modo adhuc non pervenisti ad mensuras abbatis Antonii, Pater? Et respondit ei senex: Ego si haberem unam cogitationem abbatis Antonii, efficerer totus velut ignis: verumtamen scio hominem qui cum labore potest ferre cogitationes suas
- A4-28<sup>941</sup> Dixit abbas Antonius: Ego jam non timeo Deum, sed amo, quia amor foras misit timorem.
- A4-29<sup>942</sup> Dixit iterum: Quia de proximo est vita et mors; si enim lucremur fratrem, lucrabimur Deum; si autem scandalizamus fratrem, in Christo peccamus.
- A4-30<sup>943</sup> Abbas Ammon de loco Nitrionis, venit ad abbatem Antonium, et dixit ei: Video quia maiorem laborem quam tu sustineo, et quomodo nomen tuum magnificum

---

<sup>935</sup> Ibidem XV 1

<sup>936</sup> Ibidem XV 2

<sup>937</sup> Ibidem XV 3

<sup>938</sup> Ibidem XV 4

<sup>939</sup> Ibidem XV 80

<sup>940</sup> Ibidem XV 44

<sup>941</sup> Ibidem XVII 1

<sup>942</sup> Ibidem XVII 2

<sup>943</sup> Ibidem XVII 3

est in hominibus super me? Et dixit ei abbas Antonius: Quoniam et ego diligo Deum plus quam tu.

- A4-31<sup>944</sup> Venit aliquando abbas Hilarion de Palaestina ad abbatem Antonium in montem, et dicit ei abbas Antonius: Bene venisti, Lucifer, qui mane oriris. Et dixit abbas Hilarion: Pax tibi, columna lucis, quae sustines orbem terrarum.
- A4-32<sup>945</sup> Beatae memoriae Paulus Simplex, discipulus abbatis Antonii, narravit patribus talem rem:
- A4-33<sup>946</sup> Venit aliquando quidam saecularis ad abbatem Sosoi in montem abbatis Antonii, habens filium suum secum; et in itinere mortuus est filius ejus, et non est conturbatus, sed cum fide tulit eum ad illum senem, et procidit cum filio suo tanquam poenitentiam faciens, ut benediceretur ab eodem sene. Et surgens pater pueri reliquit filium suum ante pedes ipsius senis, et egressus est foras cellam. Porro senex putans, quia poenitentiam ageret ante pedes ipsius puer ille, dixit ei: Surge, vade foras. Non enim sciebat quia mortuus erat. Et statim surgens egressus est. Et videns eum pater ejus, expavit, et intrans, adoravit senem, et dixit ei causam. Audiens autem hoc senex, contristatus est, non enim volebat hoc fieri. Praecipit itaque ei discipulus senis ut nemini nuntiaret haec usque ad obitum ipsius senis.
- A4-34<sup>947</sup> Sedebat aliquando abbas Sisois solus in monte abbatis Antonii (...)
- A4-35<sup>948</sup> Item ipse abbas Sisois sedens in cella, semper claudebat ostium suum. Dicebatur autem de ipso quoniam in die dormitionis suae, cum sederent circa eum Patres, resplenduit tanquam sol facies eius, et dixit ad eos: Ecce abbas Antonius venit. Et post pusillum rursum dicit eis: Ecce chorus prophetarum venit. Et iterum amplius facies eius resplenduit, et dixit: Ecce chorus apostolorum venit (...)
- A4-36<sup>949</sup> Dixerunt quidam fratres abbati Antonio: Volumus a te audire verbum, quo salvari possimus. Tunc senex ait: Ecce Scripturas audistis, sufficiat vobis. Qui dixerunt: Et a te volumus audire, Pater. Respondit eis senex: Audistis Dominum dicentem: Si quis te percusserit in maxilla sinistra, praebe ei et alteram. Dicunt ei: Hoc implere non possumus. Dicit eis: Si ergo praebeere ei et alteram non potestis, saltem de una ferte patienter. Responderunt ei: Nec hoc possumus. Dicit eis: Si neque hoc potestis, ne velitis percutere magis quam percuti. Dicunt ei: Nec hoc possumus. Tunc senior ait discipulo suo: Succos praepara fratribus istis, quia nimis infirmati sunt. Deinde dixit eis: Si nec hoc nec illud potestis, quid faciam vobis? ergo sola oratio necessaria est pro vobis.

**A5** *“Appendix”* **6. Jh.**

- A5-1<sup>950</sup> Interrogavit quidam frater beatum Antonium, dicens: Quid est detractio, et quid est alium judicare? Ille respondit: Detractio in omnibus dicitur omnis sermo malus, quem non audet quis praesente fratre suo dicere: judicare autem,

---

<sup>944</sup> Ibidem XVII 4

<sup>945</sup> Ibidem XVIII 20

<sup>946</sup> Johannes, *Adhortationes* II 13

<sup>947</sup> Ibidem III 5

<sup>948</sup> Ibidem III 6

<sup>949</sup> Ibidem III 11

<sup>950</sup> *Appendix* 13

qui dixerit de aliquo: Quia frater ille negotiator est, et avarus, et caetera. Hoc est proximum judicare. Judicasti hujusmodi actus, hoc pejus est quam detractio.

- A6**<sup>951</sup>      *Verba*      **6. Jh.**
- A6-1<sup>952</sup>      [Macarius] Is cum apud magnum virum et Patrem Antonium electos palmae ramos vidisset, quos ipse laboraverat, petiit ab eo unum manipulum ramorum palmae. Dixit autem ei Antonius: Scriptum est: Non concupisces res proximi tui. Et cum id solum dixisset, rami omnes statim tanquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cum vidisset Antonius, dixit Macario: Ecce Spiritus sanctus requievit super te erisque mihi deinceps haeres mearum virtutum. Hinc rursus eum invenit diabolus in solitudine, corpore valde defatigato, et dicit ad eum: Ecce accepisti gratiam Antonii; cur non uteris auctoritate, et a Deo petis cibum et vires ad iter ingrediendum?
- A6-2<sup>953</sup>      Sanctum Antonium requisivit frater, dicens: Quid faciam pro peccatis meis? Respondit: Qui vult liberari a peccatis, fletu et planctu liberabitur ab eis; et qui vult aedificari in virtutibus, per fletum lacrymarum aedificatur. Ipsa laudatio psalmorum planctus est. Memento exemplum Ezechiae regis Judae, sicut scriptum est per Isaiam prophetam, qui flendo non solum sanitatem recepit, sed etiam per quindecim annos augmentum vitae promeruit, et supervenientem hostis exercitum, videlicet centum et octoginta quinque millium, per lacrymarum ejus rigationem, virtus Domini in mortem prostravit. Sanctus Petrus apostolus flendo recepit quod in Christum negando commiserat. Maria quia cum lacrymis rigavit pedes Domini, meruit audire se optimam partem elegisse. Ipse timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi.
- A6-3<sup>954</sup>      Sanctum Antonium requisivit frater: Quomodo Deus repromittit bona animae per assiduitatem Scripturarum, et non vult anima in bonis permanere, sed declinat ad transitoria, caduca, et immunda? Respondit: Ad hoc jungitur quod Psalmista ait: Iniquitatem si consexi in corde meo, non exaudiet Deus. Ignoras quod cum venter plenus fuerit esca, statim ebulliunt magna vitia, quae Salvator noster per Evangelium praedixit: Non coinquinat, quod in os intrat, animam hominis; sed de corde exeunt, quae in interitum demergunt hominem. Vide quid dixerit primum: Cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, et blasphemiae. Quia qui necdum gustavit dulcedinem coelestium, ut ex toto corde exquirat Deum, ideo ad immunda revertitur. Quis poterit recte dicere? Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.
- A7**      **Paschasius von Dume, *Liber Geronticon de octo principalibus vitiis*      vor 556**
- A7-1<sup>955</sup>      Quidam frater renuntiauit saeculo et cum dispersisset pauperibus quaedam sibi retinuit in propriam rationem et uenit ad abbatem Antonium. Quod cum senex

<sup>951</sup> Es ist undeutlich, ob diese Sprüche zu einer bestimmten Sammlung gehören. Siehe auch Kapitel 1.7.

<sup>952</sup> Rosweyde hat dieses Verbum irrtümlicherweise aufgenommen als Teil seiner *Historia Lausiaca* (PL 73, 1112).

<sup>953</sup> Rosweyde hat dieses Verbum irrtümlicherweise aufgenommen in der Sentenzensammlung von Paschasius (PL 73, 1055, Nr.1).

<sup>954</sup> Rosweyde hat dieses Verbum irrtümlicherweise in der Sentenzensammlung von Paschasius aufgenommen (PL 73, 1056, Nr.1).

<sup>955</sup> Paschasius von Dume, *Liber Geronticon de octo principalibus vitiis* (lange Fassung) XIV 2



conperisset dicit ei: Si uis monachus fieri, uade in uico et conpara tibi carnes et inpone corpori tuo nudo et sic ueni ad me. Cum ergo hoc fecisset frater, tam canes quam aues omne corpus illius propter carnem rapiendam tam dentibus quam unguis disruptuerunt. Cum autem uenisset ad senem, requisitus si fecisset quod ei praeceperat, illo autem demonstrante corpus suum laceratum, dicit ei sanctus Antonius: Quicumque renuntiant saeculo et uolunt habere pecunias sic a daemonibus lacerantur.

A7-2<sup>956</sup> Quidam fratres uenientes ad abbatem Antonium postulabant per quem saluarentur audire sermonem. Quibus ille ait: Scripturas audistis? Quae uobis sufficiant scitis. At illi ut ipse quoque aliquid dicere dignaretur instabant. Tunc dicit eis: Dicit euangelium: «Si te percusserit aliquis in dextera maxilla praebe illi et alteram». At illi hoc se facere non posse dixerunt. Respondit eis: Si praebere alteram non potestis, uel in illa una iterum si uoluerit feriat. Sed cum nec hoc se posse facere testarentur, dicit eis: Si ergo nec hoc potestis, ne reddatis pro quod accepistis. Et cum illi idem uerbum quod superius dixerant repetissent, dicit Antonius dicipulo suo: Vade, fac illis escas ut comedant; uides enim quod ualde infirmi sunt. Si enim unum non potestis et alterum non uultis, quid a me quaeritis? Necessaria uobis est oratio per quam infirmitas uestra sanetur.

A7-3<sup>957</sup> Abbati Ammoni prophetauit beatus Antonius dicens: Multum habes in timore Dei proficere. Et educens eum de cella, ostendit illi lapidem, et dicit ei: Vade et iniuriare hunc lapidem et caede illum. Qui cum fecisset, requirente beato Antonio si ei lapis aliquid respondisset, dixit: Non. Cui beatus Antonius: Ita et tu ad hanc mensuram peruenturus es ut nullam tibi arbitraris iniuriam.

Hic autem Ammon per quattuordecim annos in eremo Sceti, tam diebus quam noctibus orauit Deum ut illi donaret iracundiam uincere.

A7-4<sup>958</sup> Quendam fratrem sub praesentia abbatis Antonii alii conlaudabant. Sed cum tentasset eum senex, repperit quod non sufferret iniuriam et dicit ei: Tu quidem, frater, similis es aedificio quod quamuis habeat ingressum ornatum, per posticum tamen a latronibus expoliatur.

A7-5<sup>959</sup> Dicebat autem abba Poemen de abbate Isidoro quia solus ille se cognouisset. Nam quotiens illi cogitatio sua dicebat «quia magnus es», tunc et ipse respondebat ad se: Numquid talis sum qualis Antonius aut certe abba Pambo uel reliqui patres qui Deo placuerunt? Quotiens haec cogitabat requiescebat. Quando uero inimicus conturbans eum suggerebat ei desperationem et poenas dicens «quoniam post haec omnia in tormenta iturus es», dicebat iterum ipse: Quia quamuis ego in tormenta mittar, tamen uos subtus me inuenio.

A7-6<sup>960</sup> Quodam tempore beatus Antonius dum resideret in eremo spiritu tentatus acediae, cogitationibusque diuersis implicatus, dicebat ad Dominum: Domine, saluari desidero sed cogitationes uariae non permittunt. Quid faciam in tribulatione mea uel quomodo saluari ualeam dignanter ostende. Et post

<sup>956</sup> Lange Fassung XXI 1; kurze Fassung VI 2

<sup>957</sup> Lange Fassung XXIX 5; kurze Fassung IX 3; Rosweyde hat dieses Verbum auch irrtümlicherweise aufgenommen als Teil der *Historia Lausiaca Palladii* (Appendix ad *Vitas Patrum*. PL 74, 380).

<sup>958</sup> Lange Fassung XXV 1

<sup>959</sup> Lange Fassung XXXI 4; kurze Fassung XI 3

<sup>960</sup> Lange Fassung XXXII 1

- paululum surgens quendam sibi similem conspicatur sedentem torquere funiculum et surgentem ex opere et orantem. Erat autem angelus ad emendationem Antonii destinatus, a quo sermonem audiens: «Et tu ita facies, Antoni, et saluaris», summo gaudio cumulatus, accepta confidentia, saluabatur.
- A7-7<sup>961</sup> Quidam frater ab abbate Achila requisit dicens: Quid faciam, pater, quoniam nullam operam facio monachi, sed in neglegentia constitutus, comedo, bibo, dormio et de opera in opera transgerdior et de cogitatione in cogitatione et propter hoc constrictor et deficior? Cui senex dixit: Tu sede in cella tua et quod potes fac sine turbatione animi est confido in Deum quoniam qui sedet in cella sua propter Deum inuenitur in locum ubi est abbas Antonius.
- A7-8<sup>962</sup> Quidam frater cum expetisset sermonem ab abbate Moyse, dicit ei senex: Vade et sede in cella tua; cella enim tua omnia te potest instruere se ibi permanseris. “Sicut enim piscis ex aqua eductus moritur, ita et monachus si foras cellam suam tardare uoluerit”: hoc enim dicebat beatus Antonius.  
Nam si in cella sua sedens monachus, rememoratus fuerit peccata sua, Dominus illi in omnibus adiutor est et non patitur taedium.
- A7-9<sup>963</sup> Quidam frater a beato requisit Antonio dicens: Quid obseruans Deo placebo? Respondit senex: Quae demando tibi custodi. Quocumque uadis Dominum semper habeto prae oculis et quodcumque opus exerceris sumito ex diuinis Scripturis exempla; et in quocumque loco resideris ne inde citius mouearis, sed patienter in eodem loco consiste. Haec enim tria custodiens saluus efficeris.
- A7-10<sup>964</sup> Abbas Sisoius cum habitaret in monte in quo erat beatus reclusus Antonius, quidam saecularis ad eum cum paruulo filio percipendae benedictionis gratia properauit (...).
- A7-11<sup>965</sup> Saepe dicebat beatus Antonius: Nisi pistor muli oculos operiret, mercedem suam respiciens ipse consumeret. Ita et nos per dispensationem Dei tegimen accipimus ut ea quae operamur bona non ualeamus intendere, ne nos ipsi beatificantes possimus extollere et mercedem propriam amittamus. Nam et ob hoc quando relinquimur in sordidis cogitatinibus haesitantes, ut hoc tantummodo peruideamus, ut nos ipsos nostra sententia condemnemus et ea quae sunt in nobis sordida illud parum bonum opus nostrum in nobis obscurent.  
Numquam enim homo bonus est etiamsi bonus esse desideret nisi Deus habitauerit in ipso. Quia nemo bonus nisi solus Deus. Oportet autem ut nos semper ueraciter incusemus. Quando enim se quisque reprehendit mercedem propriam non amittit.
- A7-12<sup>966</sup> Idem beatus Antonius retulit se uidisse omnes laqueos inimici super uniuersam terram explicitos. Et cum suspirans dixisset: “Quis hos poterit transilire”, uocem ad se dicentem audiuit: Humilitas sola pertransit, Antoni, quam nullo ualent modo contingere.

---

<sup>961</sup> Lange Fassung XXXII 2

<sup>962</sup> Lange Fassung XXXII 7

<sup>963</sup> Lange Fassung XXXII 8

<sup>964</sup> Lange Fassung XXXIII 1

<sup>965</sup> Lange Fassung XXXIX 1; kurze Fassung XV 1

<sup>966</sup> Lange Fassung XXXIX 2

- A7-13<sup>967</sup> Idem dum in cella propria oraret beatus Antonius uenit ad eum uox dicens: Antoni, necdum ad mensuram coriarii istius qui est in Alexandria peruenisti. Quo audito senex consurgens mane, arrepto baculo, ciuitatem festinus aduenit. Cumque ad designatum hominem fuisset ingressus, ille uiso tanto uiro obstipuit. Cui senex: Refer mihi opera tua, quia propter ea relicto deserto ad te hic ueni. Qui respondit: Nescio me aliquando bonum aliquid perpetrasse. Vnde et ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo rediseam, dico quod omnis haec ciuitas a minore usque ad maius ingrediuntur in regnum Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea poenam heredito sempiternam. Quod uerbum etiam antequam quiescam sero sempter ex cordis mei recenseo ueritatem. Quo audiens beatus Antonius respondit: In ueritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo sua cum requie regnum Dei adeptus es; ego autem uelut sine discretione omne tempus meum in solitudine conuersatus et necdum uerbi tui adsumpsi mensuram.
- A7-14<sup>968</sup> Quidam frater, dum negligenter uiuens, a ceteris fratribus de coenobio fuisset expulsus, ad abbatem Antonium est profectus. Cum autem aliquanto tempore permansisset cum eo, remisit eum in coenobio. At illi noluerunt eum suscipere, sed iterum expulerunt. At ille rursus ad beatum Antonium regressus est dicens: Noluerunt me suscipere, pater. Tunc transmisit ad eos beatus Antonius dicens: Ecce nauis in medio pelago naufragauit et omnem mercedem suam perdidit et uix cum grande labore nauis ipsa peruenit ad litus. Vos autem et id quod saluatum est in litore iterum uultis in mari proicere. Quod cum illi audissent, expulsus fratrem cum gaudio susceperunt.
- A7-15<sup>969</sup> Contigit fratri culpa in coenobio et dum a ceteris increparentur ad abbatem est profectus Antonium. Et adsecuti eum fratres uolentesque reducere coeperunt exprobrare ei. Ille uero fecisse culpam denegabat. Inuentus est autem ibi abbas Paphnutius, cui cognomen erat Cephalas, qui talem retulit, audita fratrum contentione, parabolam: Vidi, inquit, in ripa fluminis hominem usque ad genua in limo dimersum. Venientes autem quidam ut eum porrecta manu extraherent, usque ad collum dimerserunt. Tunc abbas Antonius de beato Paphnutio dixit: Ecce homo qui potest animas ex ueritate saluare. Quo fratres illi sermone conpuncti agentes poenitentiam eum qui discesserat ad coenobium reuocauerunt.
- A7-16<sup>970</sup> Abbati Sisoio, cum tempus dormitionis aduenisset et multi illic senes alii conuenissent, uiderunt faciem eius folgore quodam radiante et dicit eis: Ecce abbas Antonius uenit ad nos. Et post parum: Ecce, ait, et chorus prophetarum (...)
- A7-17<sup>971</sup> Quaedam fuit meretrix nomine Taisis tantae pulcritudinis ut paene multi propter eam, uenditis substantiis suis, ad ultimam peruenirent paupertatem, sed et litibus amatorum inter se consertis, frequenter sanguine iuuenum puellae limina replebantur. Quae cum abbas Paphnutius conperisset, sumpto habitu saeculari et uno solido, profectus est ad eam in quadam Aegypti ciuitate,

---

<sup>967</sup> Lange Fassung XXXIX 3; kurze Fassung XV 2

<sup>968</sup> Lange Fassung XLI 8

<sup>969</sup> Lange Fassung XLI 9

<sup>970</sup> Lange Fassung LII 4

<sup>971</sup> Lange Fassung LVII 4

deditque ei solidum quasi pro mercede peccati. At illa accepto pretio: Ingre diamur, inquit, domum. Cumque illum ingressum ut lectum pretiosis stratum uestibus conscenderet inuitaret, dicit ad eam (...). Sed tantummodo sedens contra Orientem aspice, hunc sermonem solum frequenter iterans: Qui plasmasti me, miserere mei. Cum ergo tribus annis ita fuisset inclusa, condoluit abas Paphnutius et mox profectus est ad abbatem Antonium ut ab eo requireret si remisset illi Deus, si non. Cum ergo peruenisset et totam illi causam subtiliter narasset, conuocatis discipulis suis, abbas Antonius praecepit ut illa nocte omnes uigilarent et in oratione persisterent singillatim, quatenus uni alicui ex his declararet Deus causam pro qua abas Paphnutius ueniret. Cum ergo ita singuli secessissent atque incessanter orarent, abbas Paulus Maior, discipulus beati Antonii, uidit subito in caelo lectum uestibus pretiosis adornatum, quem tres uirgines clara facie custodiebant. Cum ipse diceret: “Non est alterius haec gratia nisi patris mei Antonii”, uox ad eum facta est: Non est tui patris Antonii, sed Taisis meretricis est. Quod cum mane facto abbas Paulus retulisset, cognita Dei uoluntate, abas Paphnutius discessit. Et profectus ad monasterium in quo fuerat reclusa, ostium quod obstruxerat dissipauit (...)

- A7-18<sup>972</sup> Cum quidam fratres ad beatum Antonium pergerent, uolentes ab eo inquirere si phantasmata quae uidebant impulsu daemonum cernerentur, habebant secum asinum quam in uia contigit mori. Cum ergo peruenissent ad senem dicit eis: Quomodo defunctus est asellus uester in uia? At illi a quo hoc cognouisset interrogabant. Quibus senex: Daemones mihi ostenderunt. Tunc illi responderunt: Et nos propterea uenimus requirere si phantasias quas uidemus et saepe contingunt per daemones nuntiantur. Quibus senex satisfacit quod friuola ista non aliunde nisi per daemones declarentur.
- A7-19<sup>973</sup> Abbas Antonius dicebat: Si posset fieri, quot passos ambulat uel quot guttas aquae bibit frater in cella sua debet senioribus declarare ut si non delinquit in ipsis agnoscat.
- A7-20<sup>974</sup> Dicebat autem: Vidi monachos qui cum labore magno ceciderunt in cordis elatione uenientes. Spem enim suam in opere proprio tamquam Deo placituri ponebant, cuius mandata transgressi sunt dicentis: Interroga patrem tuum et dicet tibi, seniores tuos et adnuntiabunt tibi.
- A7-21<sup>975</sup> Quidam senex dixit: Horre uentrem tuum et necessitates huius saeculi et honorem, et tamquam absens de hoc saeculo requiem possidebis.
- A7-22<sup>976</sup> Abbas Antonius dixit: Si monachus paucis diebus laborat et iterum relaxatur et rursus laborat et deine negligit, hic nihil agit nec enim patientiae perseuerantiam possidebit.
- A7-23<sup>977</sup> Quidam philosophus beato dixit Antonio: Quomodo toleras, pater, ea quae ex uoluminibus Scripturarum est consolatione fraudari? At ille: Meus, inquit, liber natura factorum est et adest cum uolueris legere Dei sermones.

---

<sup>972</sup> Lange Fassung LXX 2

<sup>973</sup> Lange Fassung LXXIII 1 pars 1

<sup>974</sup> Lange Fassung LXXIII 1 pars 2

<sup>975</sup> Lange Fassung LXXVI 4 “Quidam senex dixit”; kurze Fassung XXVI 4. Die kurze Version folgt hier die griechische Tradition die dieses Verbum Antonius zuschreibt.

<sup>976</sup> Lange Fassung LXXVII 1; kurze Fassung XXVII 1

<sup>977</sup> Lange Fassung LXXXIV 3; PL 73, 1018 (Nr. 16) (irrtümlicherweise der *Adhortationes* von Pelagius/Johannes hinzugefügt).

- A7-24<sup>978</sup> Beatus Antonius discipulo suo solebat hoc dicere: Si affectuaueris silentium non arbitreris te exercere uirtutem, sed indignum te proloqui confitere.
- A7-25<sup>979</sup> Quidam fratres, uolentes in Sceti ad beatum Antonium proficisci, ascenderunt in nauem cum quibusdam. Ignotus quidam senex ingressus ad praefatum patrem pergere cupiebat. Sedentes autem fratres uaria loquebantur inter se tam de Scripturis quam de sermonibus patrum. Senex uero semper tacebat. Sed postquam ad beatum Antonium perrexerunt, dicit eis abbas Antonius: Bonum comitem, fratres, inuenistis hunc senem. Et conuersus ad eum: Tu quoque, inquit, abba, cum quibus uenires, bonos socios inuenisti. Cui senex ille respondit: Boni quidem sunt, sed atrium illorum ostium non habet et qui uult ingreditur in eorum stabulum et soluit asinum et quo uult proficiscitur. Hoc autem dicebat quia quicquid illis uenisset in labiis loquebantur.
- A7-26<sup>980</sup> Beatus Antonius dicere solebat: Qui sedet in deserto tribus proeliis caret, id est, uisus, auditus et detractio, et ad unum tantummodo opus cordis intentus est.
- A7-27<sup>981</sup> Beatus Antonius solebat dicere: Patres antiqui egressi sunt in deserto et ipsi sani effecti sunt medici et reuersi alios sanauerunt. Ex nobis autem si quem egredi contigerit in deserto, antequam ipsi sanemur, curam aliis adhibemus et reuertitur ad nos infirmitas nostra et fiunt ultima nostra peiora prioribus. Propter quod dicitur nobis: Medice, tibi prius curam inpendito.
- A7-28<sup>982</sup> Venerunt aliquando fratres ad beatum Antonium qui uolens eos probare interrogauit eos aliqua uerba de Scripturis. Illi autem secundum sensum suum reddit unusquisque responsum. Dixit autem ad abbatem Ioseph (erat enim cautus): Tu quid dicis? Ille autem dixit: Nescio. Dicit autem abbas Antonius: Ecce iste inuenit uiam. Hoc autem dixit ut ostenderet non debere aliquem praesumere suo sensu de sanctis proloqui Scripturis.
- A8** **Martinus von Braga, *Aegyptiorum patrum sententiae* um 556**
- A8-1<sup>983</sup> Requisiuit frater Abbatem Antonium, dicens: Quid est pro nihilo se ipsum homo aestimare? Respondit: Similem se iumentis irrationalibus aestimare, pro eo quod nihil diiudicant, sicut scriptum est: *Ego autem uelut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*
- A8-2<sup>984</sup> Requisiuit Abbas Pambo Abbatem Antonium, dicens: Quid facio sedens in cella? Respondit: Non sis confidens in merito iustitiae, et non cogites de rebus transitoriis, et esto continens linguam et ventrem.
- A9** **Dionysius Exiguus, *Vita sancti Pachomii* vor 555**
- A9-1<sup>985</sup> Eratque per id tempus beati Antonii vita cunctis ad imitandum praeclare proposita, qui, magni Eliae atque Elisaei necnon et sancti Baptistae Ioannis aemulator existens, secreta interioris eremi studio sectatus est singulari

---

<sup>978</sup> Lange Fassung LXXXVIII 6; kurze Fassung XXXIII 1

<sup>979</sup> Lange Fassung LXXXVIII 8

<sup>980</sup> Lange Fassung XCIII 1

<sup>981</sup> Lange Fassung XCV 2; kurze Fassung XXXV 2

<sup>982</sup> Lange Fassung C 5

<sup>983</sup> Martinus von Braga, *Aegyptiorum patrum sententiae* (lange Fassung) 54, (kurze Fassung) 53

<sup>984</sup> Lange Fassung 55; kurze Fassung 54

<sup>985</sup> Dionysius Exiguus, *Vita sancti Pachomii* I

vitamque caelestium in terris gessit amore virtutis. Cui sanctus Athanasius, Alexandrinae civitatis antistes, proprio stylo testimonium praebuit, dignus sane relator conversationis Antonii, qui iuxta supplicationem fratrum vitam eius pro multorum commoditate perscriberet et aemulandum viris spiritalibus exhiberet. In quo opere sancti quoque Patris Ammon meminet, a quo per Dei gratiam primum iactata sunt fundamenta conversationis eorum fratrum, qui nunc in monte Nitriae commorantur; necnon et Theodorum, sanctum admodum virum, qui cum sene praefato fuerat, idem nobis pontifex indicavit; quem, singulari ac perfecto proposito et fide non ficta Deo subditum, multiplicia retulit diaboli machinamenta superasse. Igitur ubique divina gratia copiose diffusa, illud quod in Psalmis scriptum esse canitur, decleravit explecum: *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam*. Nam pro tristitia et gemitu gaudium provenit atque laetitia, et pro sollicitudine atque miseria felicitas securitasque successit. Hinc itaque Patres monachorum, viri mirabiles, in universis propemodum regionibus exstiterunt, *quorum nomina in libro viventium* probantur ascripta. Paucissimi sane tunc adhuc per Aegyptum et Thebaidam monachi esse ferebantur. Post persecutionem namque Diocletiani et Maximiani crudelium principum, *plenitudo gentium intravit*, sicut divinitus praeordinatum est, et fecunditas Ecclesiae fructus coepit amplissimos exhibere, sanctis episcopis iuxta doctrinam tunc apostolicam iter fidei sinceram quoque conversationem monstrantibus. Per idem tempus Pachomius quidam...

**A10<sup>986</sup>** **Paschasius von Dume, *Vita sanctae Thaisis*** **vor 555**

A10-1<sup>987</sup> Cum ergo tribus annis ita fuisset inclusa, condoluit abbas Paphnutius, & mox profectus est ad abbatem Antonium, ut ab eo requireret, si peccata ejus remisisset ei Dominus, an non. Cum ergo pervenisset, & tantam illi causam subtiliter narrasset, convocatis discipulis suis, abbas Antonius praecipit, ut illa nocte omnes vigilarent, & in oratione singillatim persisterent, quatenus alicui ex eis declararet Deus causam, pro qua abbas Paphnutius venerat. Itaque cum singuli secessissent, & incessanter orarent, abbas Paulus, major discipulus sancti Antonii, vidit subito in caelo lectum pretiosis vestibibus adornatum, quem tres virgines clara facie fulgentes custodiebant. Cum ergo ipse Paulus diceret: Non est largitio haec alterius, nisi patris mei Antonii, vox ad eum facta est: Non est patris tui Antonii, sed Thaisis meretricis est.

**A11** **Pseudo-Rufinus, *Verba Seniorum*** **10. Jh.**

Diese Sentenzensammlung enthält vor allem Auszüge aus der Sammlung von Paschasius, der *Commonitiones Sanctorum Patrum* und einem Brief geschrieben von Hieronymus. Obwohl die Wortwahl zwischen diesen Sammlungen nicht immer gleich ist, ist der Inhalt der Testimonien derselbe.

A11-1	Verbum 31	= <i>Commonitiones Sanctorum Patrum</i> (=A5-2)
A11-2	Verbum 35	= <i>Commonitiones Sanctorum Patrum</i> (=A5-3)
A11-3	Verbum 68	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-1)

<sup>986</sup> Rosweyde meinte, daß die *Vita Thaisis* von Dionysius Exiguus auf lateinisch übersetzt worden war (PL 73, 661-664). Cranenburg schließt sich dieser Meinung an (Van Cranenburgh 1969, 37); Laut Freire stammt die lateinische Bearbeitung von Paschasius von Dume (Freire 1971, I 18-25); BHL 8012.

<sup>987</sup> Paschasius von Dume, *Vita sanctae Thaisis* 4

A11-4	Verbum 88	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-4)
A11-5	Verbum 101	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-5)
A11-6	Verbum 105	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-6)
A11-7	Verbum 106	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-7)
A11-8	Verbum 108	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-9)
A11-9	Verbum 109	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-8)
A11-10	Verbum 120	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-10)
A11-11	Verbum 128	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-11)
A11-12	Verbum 129	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-12)
A11-13	Verbum 130	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-13)
A11-14	Verbum 138	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-15)
A11-15	Verbum 162	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-16)
A11-16	Verbum 176	=Paschasius, <i>Liber Geronticon</i> (=A7-20)
A11-17	Verbum 218	=Hieronymus, <i>Epistula LXVIII</i> (=Nr. E6-1)

**A12** *Vita Pachomii Iunioris (=Vita Posthumii, Vita Pasthumii)* **um 500**

A12-1<sup>988</sup> Nota igitur est sancto Macario, scilicet beati Antonii discipulo, conversatio Posthumii, et celebre eius factum est nomen, visimque est illi ad hunc abire in eremum. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum fere quinquaginta milia susceperat gubernanda. Eiusdem igitur Macarii exitus de saeculo appropinquabat, et Dominico gregi, quis post eius excessum magisterii nomine subrogaretur, inquirebatur. (...) Porro Macarii aspectibus, Posthumii complacuit conversatio, et eum suadere coepit, ut sancti Antonii anachoretarum principis non graveretur visitare reliquias. Sed cum omni virtute reniteretur, et abire penitus noluisset, in somnis Posthumius sine aliquo conctamine ire iussus, divinae contradicere non poterat maiestati. Itaque cum Macario aggreditur iter, multitudinem congretationis monachorum, quae a solo gubernabatur Macario, ingressus, de quo saepe diximus corpus sepelisse magistri, cum spiritus eius vocatus est ex saeculo.

**A13** *Vita sanctorum Barlaam eremitaie et Iosaphat Indiae regis* **11./12. Jh.**

A13-1<sup>989</sup> Ac si unius ipsorum, hoc est Antonius, qui etiam monasticae vitae auspex

A13-2<sup>990</sup> Ac denique ingentem in ipsius animo, quaemadmodum quodam loco de magno Antonio proditum est, cogitationum pulverem commovebat.

<sup>988</sup> *Vita Pachomii Iunioris* VII

<sup>989</sup> *Barlaam et Iosaphat* XII

<sup>990</sup> *Ibidem* XXXVII

**B Lateinische Hagiographie****B1 Hieronymus, *Vita Pauli* 373-378**

B1-1<sup>991</sup> Inter multos saepe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum eremus habitari coepta sit. Quidam enim altius repetentes a beato Elia et Ioanne principia sumpserunt. Quorum et Elias plus nobis uidetur fuisse quam monachus et Ioannes ante prophetare coepisse quam natus sit. Alii autem, in quam opinionem omne uulgus consentit, adserunt Antonium huius propositi caput, quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amatas uero et Macarius, discipuli Antonii, e quibus superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc adfirmant Paulum quemdam Thebaeum principem rei istius fuisse, non nominis, quam opinionem nos quoque probamus. Nonnulli et haec et alia prout uoluntas tulit iactant: subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem, et multa quae persequi otiosum est incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia uidetur. Igitur quia de Antonio tam Graeco quam Romano stilo diligenter memoriae traditum est, pauca de Pauli principio et fine scribere disposui, magis quia res omissa erat quam fretus ingenio. Quomodo autem in media aetate uixerit aut quas Satanae pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur. (...)

B1-2<sup>992</sup> Sed ut ad id redeam unde digressus sum, cum iam centesimo tertio decimo aetatis suae anno beatus Paulus coelestem uitam ageret in terris et nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur, ut ipse adserere solebat, haec in mentem eius cogitatio incidit, nullum ultra se monachum in eremo consedissee. Atque illi per noctem quiescenti reuelatum est esse alium interius multo se meliorem ad quem visendum properare deberet.

B1-3<sup>993</sup> Stupens itaque Antonius, et de eo quod uiderat secum uolvens, ulterius progreditur. Nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculum uidet, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad hoc Antonius spectaculum, scutum fidei et loricam spei, ut bonus praeliator arripuit: nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad uaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius, et quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore Gentilitas, Faunos, Satyrosque, et Incubos uocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis communem Dominum deprecetis, quem in salutem mundi olim uenisse cognouimus; et in universam terram exiit sonus ejus. Talia eo loquente, longaevus uiator ubertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo laetitiae indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, et de interitu Satanae: simulque admirans, quod ejus posset intelligere sermonem, et baculo humum percutiens, aiebat: Vae tibi, Alexandria, quae pro Deo portenta ueneraris. Vae tibi, ciuitas meretrix in quam totius orbis daemonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiae Christum loquuntur, et tu pro Deo portenta ueneraris. Necdum uerba compleuerat, et quasi pennigero uolatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ad incredulitatem scrupulum

---

<sup>991</sup> Hieronymus, *Vita Pauli* 1

<sup>992</sup> Ibidem 7

<sup>993</sup> Ibidem 8



moveat, sub rege Constantio, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum praebuit: et postea cadaver exanime, ne calore aestatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam ut ab imperatore videretur, allatum est.

B1-4<sup>994</sup>

Sed ut propositum persequar, Antonius coeptam regionem pergebat, ferarum tantum uestigia intuens et eremi latam uastitatem. Quid ageret, quo uerteret gradum? Iam altera effluxerat dies. Restabat unum, ut deseri se a Christo non posse confideret. Pernox secundas in oratione exegit tenebras, et dubia adhuc luce haud procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem ad radicem montis inreperere. Quam secutus oculis et iuxta specluncam, cum fera abiisset, accedens, coepit introspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus uisum. Verum ut scriptura ait, 'perfecta dilectio foras mittit timorem.' Suspenso gradu et anhelitu temperato callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, saepiusque subsistens sonum aure captabat. Tandem per caecae noctis horrorem procul lumen intuitus, dum audius properat, offensum pede lapidem in strepitum concitauit; post cuius sonitum beatus Paulus ostium quod patebat occludens sera obfirmavit. Tunc uero Antonius pro foribus corruens, usque ad sextam et eo amplius horam aditum precabatur dicens: 'Qui sim, unde, cur uenerim, nosti. Scio me non mereri conspectum tuum; tamen nisi uidero, non recedam. Qui bestias suscipis, hominem cur repellis? Quaesiui et inveni, pulso ut aperiat. Quod si non impetro, hic, hic moriar ante postes tuos. Certe sepelies uel vadaver.' Talia perstabat memorans, fuxusque manebat. Ad quem responsum paucis ita reddidit heros: 'Nemo sic petit ut minetur, nemo cum lacrimis calumniam facit. Et miraris si non recipiam, cum moriturus adueneris?' Sic adridens patefecit ingressum. Quo aperto dum in mutuos miscentur amplexus, propriis se salutavere nominibus; gratiae Domino in commune referuntur.

B1-5<sup>995</sup>

Et post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio ita exorsus est:

B1-6<sup>996</sup>

Igitur in Deum gratiarum actione celebrata super uitrei marginem fontis uterque consedit. Hic uero, quis frangeret panem, oborta contentio pene diem duxit in uesperam. Paulus more cogeabat hospitii, Antonius iure refellebat aetatis. Tandem consilium fuit, ut adprehenso e regione pane, dum ad se quisque nititur, pars sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquae prono in fonte ore libarunt, et immolantes Deo sacrificium laudis noctem transegere uigiliis. Cumque iam esset terrae redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic locutus est: 'Olim te, frater, in istis regionibus habitare sciebam, olim conseruum meum mihi promiserat Deus. Sed quia iam dormitionis meae tempus aduenit, et quod semper cupieram dissolui et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiae; tu missus a Domino es, qui humo corpusculum meum tegas, immo terram terrae reddas.'

B1-7<sup>997</sup>

His Antonius auditis flens et gemens, ne se desereret atque ut comitem talis itineris acciperet, precabatur. '(...) Quamobrem, perge, quaeso, nisi molestum est, et pallium quod tibi Athanasius episcopus dedit, ad obuoluendum

---

<sup>994</sup> Ibidem 9

<sup>995</sup> Ibidem 10

<sup>996</sup> Ibidem 11

<sup>997</sup> Ibidem 12

corpusculum meum defer.' Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanasio et pallio eius audierat.

- B1-8<sup>998</sup> Tandem defatigatus et anhelus ad habitaculum suum confecto itinere pervenit. Cui cum duo discipuli, qui ei iam longaeuo ministrare coeperant, occurissent dicentes: 'Ubi tamdiu moratus es, pater?', respondit: 'Vae mihi peccatori, qui falsum monachi nomen fero. Vidi Eliam, uidi Ioannem in deserto, et uere in paradiso Paulum uidi.
- B1-9<sup>999</sup> Cumque iam dies inluxisset alia et trium horarum spatio iter remaneret, uidit inter angelorum cateruas, inter prophetarum et apostolorum choros, niueo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem suam procidens sabulum capiti superiaciebat, plorans atque eiulans: 'Cur me, Paule, dimittis? Cur abis insalutatus? Tam tarde notus tam cito recidis?'
- B1-10<sup>1000</sup> Referebat postea beatus Antonius tanta se uelocitate quod reliquum erat uiae cucurrisset, ut ad instar auis peruolaret.
- B1-11<sup>1001</sup> Igitur obuoluto et prolato foras corpore, psalmis quoque ex Christiana traditione cantatis, constrictabatur Antonius quod sarculum, quo terram foderet, non haberet. Fluctuans uario mentis aestu et secum multa reputans: 'Si ad monasterium reuortar, quatridui iter est; si hic maneam, nihil ultra proficiam. Moriar ergo, ut dignum est et iuxta bellatorem tuum, Christe, ruens extremum halitum fundam.' Talia eo animo uolente, ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes uolantibus per colla iubis ferebantur. Quibus aspectis primo exhorruit. Rursusque ad Deum mentem referens, quasi columbas uideret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt; adulantibusque caudis circa eius pedes accubere, fremitu ingenti rugientes, prorsus ut intellegeres eos plangere quo modo poterant. Deinde haud procul coeperunt humum pedibus scalpere, harenamque certatim egerentes unius hominis capacem locum effodere. Ac statim quasi mercedem pro opere postulaturi, cum motu aurium ceruice deiecta ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesque lingentes, ut ille animaduertit benedictionem eos a se deprecari. Nec mora, et in laudationem Christi effusus, quod multa quoque animalia Deum esse sentirent, ait: ' Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit nec unus passerum ad terram cadit, da illis sicut tu scis.' Et manu annuens eis ut abirent imperauit. Cumque illi recessissent, sancti corporis onere seniles curuauit humeros, et deposito eo effossam desuper humum congregans tumulum ex more composuit. Postquam autem dies inluxerat alia, ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret, tunicam sibi eius uindicauit, quam in sportarum modum de palmae foliis ipse sibi texuerat. Ac sic ad monasterium reuersus discipulis ex ordine cuncta replicauit; diebusque solemnibus Paschae uel Pentecostes semper Pauli tunica uestitus est.

- B2** **Hieronymus, *Vita Hilarionis*** **391**  
 B2-1<sup>1002</sup> (...) Audiens autem tunc celebre nomen Antonii, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio perrexit ad eremum. Et statim ut

<sup>998</sup> Ibidem 13

<sup>999</sup> Ibidem 14

<sup>1000</sup> Ibidem 15

<sup>1001</sup> Ibidem 16

<sup>1002</sup> Hieronymus, *Vita Hilarionis* 2.4-3.1

eum vidit, mutato pristino habitu, duobus fere mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinem vitae eius morumque gravitatem, quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset; et ut continentiam cibique eius asperitatem nulla umquam infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones aut impetus daemonum concurrebant, ultra non ferens, nec congruum esse ducens pati in eremo populos civitatum; sicque sibi magis incipiendum esse ut coepisset Antonius, illum quasi virum fortem victoriae praemia accipere, se necdum militare coepisse, reversus est cum quibusdam monachis ad patriam, et parentibus iam defunctis partem substantiae fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reservans et timens illud de Actibus Apostolorum Ananiae et Saphirae vel exemplum vel supplicium, maximeque Domini memor dicentis: "Qui non renuntiaverit omnibus quae habet, non potest meus esse discipulus". Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus et armatus in Christo, solitudinem, quae in septimo miliario a Maiuma, Gazae emporio, per littus euntibus Aegyptum ad laevam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrociniis loca et propinqui amicumque eius imminens periculum denuntiarent, contempsit mortem ut mortem evaderet.

Mirabantur omnes animum; mirabantur aetatem; nisi quod flamma quaedam pectoris, et scintillae fidei in oculis relucebant. Leves erant genae, delicatum corpus et tenue et ad omnem iniuriam impatiens; quod levi vel frigore vel aestu posset affligi. Igitur sacco tantum membra coopertus et pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare et paludem vaste et terribili solitudine fruebatur, quindecim tantum caricas post solis occasum comedens (...)

- B2-2<sup>1003</sup> Hoc signorum eius principium maius aliud signum nobilitavit. Aristaenete, Helpidii, qui postea praefectus praetorio fuit, uxor, valde nobilis inter suos et inter christianos nobilior, revertens cum marito et tribus liberis a beato Antonio (...)
- B2-3<sup>1004</sup> (...) redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Aegypto, a te servantur in Syria.
- B2-4<sup>1005</sup> Habebat Dominus Iesus in Aegypto senem Antonium, habebat in Palaestina Hilarionem iuniorem.
- B2-5<sup>1006</sup> In tantam enim a Domino fuerat elevatus gloriam, ut beatus quoque Antonius audiens conversationem eius scriberet ei libenterque eius epistolas sumeret. Et si quando de Syriae partibus ad se languentes perrixissent, diceret eis: "Quare vos tam longe vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem?"
- B2-6<sup>1007</sup> (...) volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens: "Vellem", ait, "ipse quoque ire, si non carcere huius monasterii clausus tenerer et si eundi fructus esset; biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. Credidit illa et substitit. Et post paucos dies veniente nuntio Antonii dormitionem audivit.

---

<sup>1003</sup> Ibidem 8.1

<sup>1004</sup> Ibidem 8.6

<sup>1005</sup> Ibidem 8.11

<sup>1006</sup> Ibidem 15.2

<sup>1007</sup> Ibidem 19.5-19.7

- B2-7<sup>1008</sup> (...) ubi convento diacono Baisane, qui locatis dromadibus camelis, ob aquae in eremo penuriam consueverat euntes ad Antonium ducere, confessus est fratribus instare diem dormitionis beati Antonii et pervigilem noctem in ipso quo defunctus fuerat, loco a se ei debere celebrari (...). repertis ibi duobus monachis, Isaac et Pelusiano, quorum Isaac interpret Antonii fuerat.
- B2-8<sup>1009</sup> Et quia se praebet occasio et ad loci venimus, dignum videtur brevi sermone habitaculum tanti viri describere. Saxeus et sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenae ebibunt, aliae ad inferiora delapsae paulatim rivum efficiunt, super quem ex utraque ripa palmae innumerabiles multum loco et amoenitatis et commodi tribuunt. Videres senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonii discurrere. "Hic", aiebant, "psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat; has vites, has arbusculas ipse plantavit; illam areolam manibus suis ipse composuit; hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est; istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit". Iacebat in stratu eius et quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensurae per quadrum tenens quam homo dormiens extendi poterat. Praeterea in sublimi montis vertice quasi per cochleam ascendentibus et arduo valde nisu duae eiusdem mensurae cellulae visebantur; in quibus venientium frequentiam et discipulorum suorum contubernium fugiens moratus est; verum hae in vivo excisae saxo ostia tantum addita habebant. Postquam autem ad hortulum venerant: "Videtis", inquit Isaac, "hoc pomarium arbusculis consitum, et oleribus virens? Ante hoc ferme triennium cum onagrorum grex hoc vastaret, unum e ductoribus eorum stare iussit, baculoque tudens latera: "Quare", inquit, "comeditis, quod non seminastis?" Et exinde exceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, numquam eos nec arbusculam nec olera contigisse. Praeterea rogabat senex, ut sibi locum tumili eius ostenderent. Qui cum seorsum eum abduxissent, utrum monstraverint necne, ignoratur, causam occultandi iuxta praeceptum Antonii fuisse referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam sancti corpore martyrium fabriceretur.
- B2-9<sup>1010</sup> (...) Porra iam triennium erat, quod clausum caeum illas terras arefecerat, ut vulgo dicerent Antonii mortem etiam elementa lugere. Non latuit fama Hilarionis accolae quoque illius loci, et certatim, virilis ac muliebris sexus, ore luridi et attenuati fame, pluvias a servo Christi, id est, a beati Antonii successore deprecabantur.

- B3** **Paulinus von Mailand, *Vita Ambrosii* um 422**
- B3-1<sup>1011</sup> Hortaris, venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus et Hieronymus presbyter stilo prosecuti sunt vitam sanctorum Pauli et Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis ecclesiae Severus servus Dei luculento sermone contexit, etiam ego beati Ambrosii episcopi Mediolanensis ecclesiae meo prosequar stilo.

---

<sup>1008</sup> Ibidem 20.12-20.13

<sup>1009</sup> Ibidem 21

<sup>1010</sup> Ibidem 22.2-22.3

<sup>1011</sup> Paulinus von Mailand, *Vita sancti Ambrosii* 1.1

- B4** *Vita Eugendi Abbatis Iurensis* 510–515  
 B4-1<sup>1012</sup> Habebat autem, nimirum habetatore inlustrante, magnam et in uultu laetitiam; nam sicut illum tristem nemo unquam uidit, ita ridentem nullus adspexit. Non illi beatorum Antonii atque Martini gesta aut mores unquam labeantur ex animo. Nunquam iste, ut de Antonio refertur, aut ira subita patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam. Nunquam laudatus ac beatificatus inflatus est; nunquam uituperatus fractus est aut tristatus.
- B5** *Vita Romani abbatis* 510–515  
 B5-1<sup>1013</sup> Cum ergo in supradicto loco multo iam tempore prisci imitator Antonii uita frueretur angelica ac praeter caelestem intuitum nullo nisi ferarum ac raro uenantium frueretur adspectu, uenerabilis germanus ipsius Lupicinus, postmodum scribendus abba, cum esset eidem germanitate minor, sed non inpar postmodum sanctitate, per uisionem nocte a fratre commonitus, relictis ob amorem Christi quas iam beatissimus Romanus deseruerat sorore uel matre, tugurium fraternum professionemque ardentem expetiit, futurum procul dubio, quod rei postea probauit euentus, ut in nidulo illo, hoc est secreto heremi, tamquam par turturum uel duo pulli columbarum, spiritalem subolem, diuini scilicet Verbi inspiratione conceptam, monasteriis ecclesiisque Christi casta parturitione diffunderent.
- B6** *Braulio von Saragossa, Vita Aemiliani* 635–640  
 B6-1<sup>1014</sup> Didymo etiam, qui tunc pontificatus gerebat in Tyrassona ministerium, cum hoc quoque fuisset delatum, insequitur hominem, ordini ecclesiastico uolens inserere, ejus quippe erat in dioecesi. Durum illi primum uideri, ac grave refugere, ac reniti, et quasi de coelo traduci ad mundum, de quiete jam pene nacta ad officia laboriosa, vitamque contemplativam transferri ad activam. Tandem coactus est inuitus obedire; quapropter in ecclesia Vergegii presbyteri est functus officio. Tunc relictis quibus dediti esse solent istius ordinis, nostri quidem homines temporis, sanctam impertiebatur curam; in hanc, inquam retractus erat vitam. In quo tamen continuatae preces, hebdomadarum inedia, jugis uigilia, discretio uera, spes certa, frugalitas magna, iustitia blanda, patientia solida, et, ut breuiter dicam, ab omni omnino re mala indefesse persistebat parcimonia maxima. Sapientiae etiam flores ita de pratis decerpserat ineffabilis Diuinitatis, ut is qui adusque octauum memoriae uix commendauerat psalmum, incomparabiliter longeque praestaret peritia, prudentia, acutia, qua mundi uetustos anteiret philosophos. Nec immerito sane, quia quod illis saecularis industria, isti diuinitus superna concesserat gratia: uere, ut conjicio, coelicolis Antonio Martinoque uocatione, educatione, atque miraculis per omnia similis.
- B7** *Jonas von Bobbio, Vita Columbani* um 640  
 B7-1<sup>1015</sup> Quorum beatus Athanasius Antonii, Hieronimus Pauli et Hilarionis uel ceterorum quos cultus bonae uitae laudabiles reddebat, Postumianus uero,

---

<sup>1012</sup> *Vita Eugendi* 168

<sup>1013</sup> *Vita Romani* 12

<sup>1014</sup> Braulio von Saragossa, *Vita Aemiliani* 12

<sup>1015</sup> Jonas von Bobbio, *Vita Columbani* I

Severus et Gallus Martini aegregii, nostris eorum memoriam dimisere saeculis, plerumque aliorum quos aut fama aut bonorum exempla operum vel virtutum monumenta commendarunt, ut sunt columnae aecclesiarum Hilarius, Ambrosius et Augustinus, qui inter tot saeculi turbines et fluctuante mundo, statum aecclesiae sustentarunt, ne flatu adversante iniquo, ac hereticorum procella quatiente, veram fidem adversitas macularet.

- B8** *Passio Praeiectionis episcopi et martyris Averni* **676-680**  
 B8-1<sup>1016</sup> Eusebius vero Caesariensis urbis episcopus, vir eloquentie facundiam pollens, maiorem exempla secutus, innumeros martyrum descripsit agones, quem imitatus Rufinus usque in consulatu Theodosii principis stilo elicuit. Sed ut ad sacros veniam anachoritas atque confessores, beatus Athanasius Alexandrinus episcopus Antonii, sanctus vero et eruditissimus omnium rerum Hieronimus, Pauli et Hilarionus vel ceterorum, quos cultus bone vite laudabiles reddebat, edidit acta Posthumianus vero, Severus et Gallus Martini egregii nostris eorum dimisere scedulis (...)
- B9** *Passio Ila Desiderii episcopi* **7. Jh. - um 700**  
 B9-1<sup>1017</sup> Nam et hoc nullus fabulosum conseat esse, [si] antefatum bonitatis virum militantem in Christo, ut Antonius meruit, aviculam comportantem, manna caeleste patuit fuisse refectum.
- B10** *Beda Venerabilis, Vita Cuthberti* **um 720**  
 B10-1<sup>1018</sup> Qualiter a messe quam sua manu severat verbo volucres abegerit. (...) Porro in arcessitis a messe volatilibus reverentissimi et sanctissimi patris Antonii sequebatur exemplum, qui a laesione hortuli quem ipse plantaverat, uno onagros sermone compescuit.
- B11** *Arbeo von Freising, Vita Corbiniani* **um 770**  
 B11-1<sup>1019</sup> Res mira et valde inaudita, excepto miraculo vetustissimo, quod Pauli Antoniiique corvus ministraverat escam! Tanta enim divina misericordia pietatis est largitas, ut nusquam suos inopiae consumptos permittit servos.
- B12** *Ermenrich von Ellwangen, Sermo de vita B. Soli* **um 840**  
 B12-1<sup>1020</sup> Item rescriptum Gundrammi diaconi ad Ermenrichum diaconum. (...) Nam et multos actus eius agnovimus tam insignes, et in vita huius lucis agentem et post hanc vix comparabilia facientem, ita ut aliquem ex prioribus heremicis, vel Antonium vel Paulum in eo mirares.
- B13** *Gislemar von St. Germain-des-Près, Vita Droctovei Abbatis Parisiensis* **2. Hälfte des 9. Jh.**  
 B13-1<sup>1021</sup> Qui inter reliquos, quos hortatu simul et exemplo Christi mancipavit tirocinio,

<sup>1016</sup> *Passio Praeiectionis episcopi et martyris Averni* Prol.

<sup>1017</sup> *Passio Ila sancti Desiderii episcopi* 4

<sup>1018</sup> Beda Venerabilis, *Vita Cuthberti* (prosa) XIX

<sup>1019</sup> Arbeo von Freising, *Vita Corbiniani* 17

<sup>1020</sup> Ermenrich von Ellwangen, *Sermo de vita B. Soli*, Brief von Gundrammus an Ermenrich

<sup>1021</sup> Gislemar von St. Germain-des-Près, *Vita Droctovei Abbatis Parisiensis* 8

beatissimum Droctoveum insignire studuit scemate monastico atque ascivit discipulatu suo. Quem pie, ut vere piissimus, aluit et iuxta normam sanctorum patrum, Antonii scilicet et Basilii, - nam sceptriger huius ordinis, beatus scilicet Benedictus, necdum his erat in partibus notus, - vivere instituit.

- B14** *Ado von Vienne, Passio Desiderii* **870**  
 B14-1<sup>1022</sup> Imperatores autem tunc temporis in Republica Romana Iustinianus fuit maior. Post quem Iustinianus minor. Cuius tempore corpus B. Antonii monachi, revelatione divina repertum, in Ecclesia B. Ioannis Baptistae apud Alexandriam sepultum est.
- B15** *Heirc von Auxerre, Vita Germani episcopi Autissiodorensis* **873**  
 B15-1<sup>1023</sup> Vulgant Hilarium septifidis artibus inclytum; / Martinus titulis signipotens astra reverberat; / Palmam sanctifici propositi Antonius tulit: / Clarus quisque sua laude nitet tempore perteti.
- B16** *Joannes Italos, Vita Odonis abbatis Cluniacensis* **943**  
 B16-1<sup>1024</sup> Diximus ista de antiquis vatibus, ut nullus arbitretur hoc silentium modernis temporibus fuisse inventum, sicut quidam male suspicantes fatentur. Hos namque et Novi Testamenti Patres, Paulus, Antonius, Hilarion, Ioannes, ad postremum beatissimus pater Benedictus imitati sunt, et alii quamplurimi, quos nominatim propter quorundam fastidium minime recensemus: quorum videlicet silentium, si quis studiose exquirere voluerit, in eorum catalogo affatim reperire poterit.
- B17** *Hrosvith von Gandersheim, Comoediae (Pafnutius)* **um 965**  
 B17-1<sup>1025</sup> PAPHNUTIUS. Ecce, tres mensurni poenitentiae Thaidis transiere, et ego ignoro utrumne Deo acceptabilis sit eius compunctio. Surgam, et vadam ad fratrem meum Antonium, quo mihi manifestetur per eius interventum.  
 SCENA X.  
 ANTONIUS. Quid insperatae iucunditatis accidit? Quid novi gaudii mihi contigit? Num hic est frater et coeremicola meus Paphnutius? Ipse est.  
 PAPHNUTIUS. Sum etenim.  
 ANTONIUS. Bene, frater, venisti, bene me adveniando laetificasti.  
 PAPHNUTIUS. Haud minus tripudio tui visu, quam tu mei adventu.  
 ANTONIUS. Quae haec causa tam acceptabilis, tam grata nobis, quae te huc duxit de tuis latibulis?  
 PAPHNUTIUS. En valeo.  
 ANTONIUS. Hoc desidero.  
 PAPHNUTIUS. Ante hoc triennium morabatur secus nos quaedam meretrix nomine Thais, quae non solum sese perditioni dedit, sed etiam plures secum ad interitum trahere consuevit.  
 ANTONIUS. Heu! gemenda consuetudo!

<sup>1022</sup> Ado von Vienne, *Passio Desiderii* (PL 123, 436)

<sup>1023</sup> Heirc von Auxerre, *Vita Germani episcopi Autissiodorensis* III Praef.

<sup>1024</sup> Joannes Italos, *Vita Odonis* 12

<sup>1025</sup> Hrotsvith von Gandersheim, *Pafnutius* IX

PAPHNUTIUS. Hanc sub specie amatoris adii, et lascivientem animum nunc suavibus hortamentis blandiendo mulcebam, nunc acrioribus monitis minitendo terrebam.

ANTONIUS. Hoc temperamentum eius lasciviae fuit necessarium.

PAPHNUTIUS. Tandem cessit, et sprete reprehensibili consuetudine castitatem elegit, seseque in angustissima cellula concludi consensit.

ANTONIUS. Delector audiendo in tantum, ut omnes praecordiorum venae intrinsecus exsiliant gaudento.

PAPHNUTIUS. Decet tui sanctitatem; et ego quidem, licet supra modum gaudeam de conversione, non levi tamen conturbor sollicitudine, eo quod vereor eius teneritudinem aegre ferre diutinum laborem.

ANTONIUS. Ubi adest vera dilectio, non deest pia compassio.

PAPHNUTIUS. Unde tuam dilectionem efflagito, ut tu tuique discipuli mecum in orationibus concordando velitis persistere, quoadusque coelitus demonstretur utrumne benignitas divinae miserationis ad indulgentiam mollita sit poenitentis lacrymis.

ANTONIUS. Consentimus tuae petitioni libenter.

PAPHNUTIUS. Nec dubito vos a Deo exauditum iri clementer.

SCENA XI.

ANTONIUS. Ecce evangelica promissio in nobis est impleta.

PAPHNUTIUS. Quae haec promissio?

ANTONIUS. Ea videlicet quae consentientes in oratione promisit omnia impetrare posse.

PAPHNUTIUS. Quid est?

ANTONIUS. Paulo meo discipulo ostensa est quaedam visio.

PAPHNUTIUS. Voca illum.

ANTONIUS. Paule, accede, et quae vidisti Paphnutio expone.

PAULUS. Videbam in visione lectulum candidulis palliolis in coelo magnifice stratum, cui quatuor splendidae virgines praeerant, et quasi custodiendo astabant; at ubi iucunditatem mirae claritatis aspiciebam, intra me dicebam: Haec gloria nemini magis congruit, quam Patri et domino meo Antonio.

ANTONIUS. Tali me non dignor beatitudine.

PAULUS. Quo dicto intonuit vox divina dicens: «Non, ut speras, Antonio, sed Thaidi meretrici servanda est haec gloria.»

PAPHNUTIUS. Laus dulcedini tuae, Christe, unice Dei, quod mei tristitiam tam pie dignatus es consolari.

ANTONIUS. Dignus est laudari.

PAPHNUTIUS. Ibo, et mei captivam visitabo.

ANTONIUS. Tempus est ut illi et spem veniae et solamen promittas beatitudinis aeternae.

- B18** **Johannes von Sankt Arnulf, *Vita Joannis Gorziensis* 974 und 978-984**  
 B18-1<sup>1026</sup> Quamquam non inter haec vitae conversationes vel dicta quorumcumque sanctorum, peculiari stilo de eis conscripta, non eum praeterierint, quippe qui ex ipsis in usum proprie conversationis normam sibi assumpsit Antonium, Paulum, Hilarionem, Macharium, Pachomium, et reliquos heremi sectatores,

<sup>1026</sup> Johannes von Sankt Arnulf, *Vita Joannis Gorziensis* 84



tum Martinum maximum et sanctissimum episcopum, (...)

- B19** *Vita Bavonis* **vor 980**  
 B19-1<sup>1027</sup> Quid vesane furis? Cur non aliquando quiescis? / In te sanctorum semper vestigia calcant / Tu tamen haud animo cessas prestare suberbo / His decus egregium telis olim monachorum / Vexatus valide satis est Antonius a te: / ornat eum claris sed gratia celsa triumphis, / tu vero victum grandis confusio dampnat;
- B20** *Helgaud von Fleury, Epitoma vitae Rotberti regis* **um 1033**  
 B20-1<sup>1028</sup> Erant enim fixa et bene plantata in corde mansuetissimi et Deum bene amantis regis beatissimi Antonii verba: «Iesum Christum semper desiderate, quia in omni sede terrarum constituta regna coelorum.»
- B21** *Eberwin von St. Martin zu Trier, Vita Symeonis reclusi in porta Trevirensi* **Kurz nach 1035**  
 B21-1<sup>1029</sup> Illo etiam tempore non defuerunt graves tentatoris insidiae. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, ululatus luporum, grunitus porcorum, ceterarumque duras infestationes ferarum: quae quasi impetum facientes ut eum devorarent, illud tugurium, & ut verius dicam sepulcrum, immensis clamoribus replebant. Cum siquidem voces audiret, & impetus sentiret, nihil cernere valebat. Expansis denique manibus stans in oratione, cum se nec inclinare nec vertere auderet, nec etiam somnum capere posset, fideli mente conversus ad Dominum, oravit; dicens: Domine, si corpus meum est traditum his feris ad devorandum, credo tamen quia tu misereberis animae meae, quam redemisti tuo pretioso sanguine.
- B22** *Arnold von Sankt Emmeran, De miraculis et memoria Emmerammi* **1035/37**  
 B22-1<sup>1030</sup> *Collectitius*. «Interrogatiunculae tuae huic pravae simul et dubitationi nimium periculosae, o Ammonici, satisfacere debet vox quae ad Antonium pro extensis per orbem terrarum inimici laqueis queritantem, et nihilominus lacrymantem, de coelo aliquando venit, dicens: Humilitas Christo adhaerens transcendet omnes laqueos hos.
- B23** *Goscelin von St. Bertin, Vita Mildrethae* **vor 1107**  
 B23-1<sup>1031</sup> huius humilitatem, illius patientiam, alterius abstinentiam, alterius vigilantiam
- B24** *Vita sancti Mederici presbyteri et abbati Parisiis* **884 ?**  
 B24-1<sup>1032</sup> [tendit Parisios, & vehiculum ejus trahunt indomita animalia;] Ibidem etiam diu commorans in eadem debilitate, jussit aedificari vehiculum, sollicitus unde trahi posset Parisium, causa orationis circumeundi, sicut superius retuli. Inde profectus, obviam ei, audita fama ejus, venit multitudo hominum, offerens ei

<sup>1027</sup> *Vita Bavonis* XVII

<sup>1028</sup> Helgaud von Fleury, *Epitoma vitae Rotberti regis* 20

<sup>1029</sup> Eberwin von St. Martin zu Trier, *Vita Symeonis reclusi in porta Trevirensi* 16

<sup>1030</sup> Arnold von Sankt Emmeran, *De miraculis et memoria Emmerammi* II (PL 141, 1075-1076)

<sup>1031</sup> Goscelin von St. Bertin, *Vita Mildrethae* 9

<sup>1032</sup> *Vita Mederici presbyter et abbas Parisiis* 2

diversa munera, quae non respuens accepit, distribuens omnia pauperibus. Inter caetera vero venerunt quidam mutuo cogitantes, tractantes, ut obtulissent ei animalia, quae ejus vehiculum traherent. Unde unus quidem obtulit vaccam unam domitam simplici animo: alii quasi irridentes, taurum indomitum, volentes probare, cum simul jungerentur, si opinio vera esset, quae de illo dicebatur, si sponte traherent illud illa indomita animalia. Statim vero, ut juncti fuerunt, sine bubulco (sicut de arca Domini legitur tempore captivitatis et reversionis ejus) volentes venerunt Parisium. Nec mirum, si creatura ancillabatur illi, qui toto cordis affectu obtemperabat Creatori. Tunc etenim bene quis praeest inferiori, cum recte didicerit subesse potiori. Legimus enim eremi incolis, beato scilicet Antonio, et Paulo, atque aliis quamplurimis leones, ursosque, ac lupas famulatus obsequium nutu impertiri divino. Heliae quoque corvi panem, et carnes mane deferebant; similiter et vesperi. Ipse nempe in adminiculo famuli sui Mederici mansuescere fecit animalia, qui quondam ex silvarum feris, et volucris caeli sibi obsecundantibus insolita praestitit solamina. Idem enim semper ipse est, eademque virtus temporibus extat modernis, quae olim extitit in antiquis. Atque ad honorificentiam divinae operationis ultima respondent primis.

**B25** *Vita Aviti Aureliani in Gallia* **9. Jh.?**

B25-1<sup>1033</sup>

Muto loquela, caeco visus, mortuo vita redduntur.

Ex hujusmodi quidem operatione miraculi longe lateque divulgatur tanti viri fama, et qui in deserti solitudine latendo se ignorari voluerat, multo frequentatur populorum conventu. Variis namque detenti infirmitatibus, ejus adeuntes praesentiam, [varios aegros sanat,] Dei misericordia citius liberantur. Glorificabatur ab omnibus qui audierant Divina majestatis potentia, quae in servo suo crebra excercebat, miracula. Verum ubi ejus praesentiam accedentium multitudo inquietare coepit, nolens frequentari a populo, ad remotioris loci abstrusa sese transferre cogitabat. Visum est autem divinae providentiae consilio, ut hujusmodi voluntas populi notitiam Carnotensis Antistitis Eutherii non lateret. Quorum obnixa postulatione, ac quodammodo Praesidis potestate, cohibitus, eodem in loco residere est compulsus. Ibi etenim ut providerat praesentis omnia consideratio sicut praemisimus, monasterii jam regis sumptibus constructam habitationem sub priscorum Patrum Pauli et Antonii nomine dedicare fecit.

**B26** *Vita Tillonis Pauli Monachi in Gallia* **9. Jh.?**

B26-1<sup>1034</sup>

Diivinae praeceptum vocis est, vt iugi custodia tueamur animum, quia exercitos ad supplantandum habemus inimicos, contra quos nobis, secundum Apostolicam contestationem, pugna sine foedere est; ait enim beatus Paulus: Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem, sed aduersus principatus, et potestates huius mundi, aduersus spiritalia nequitiae in caelestibus. Ingens eorum turba per istum volitat aerem, non procul a nobis hostium caterua discurrit. Et hoc primum mentibus nostris affigere debemus, nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab eius constitutione, daemonum

<sup>1033</sup> *Vita Aviti Aureliani in Gallia* 3

<sup>1034</sup> *Vita Tillonis Pauli Monachi in Gallia* 2

coepisse principium: peruersitas ista non naturae, sed voluntatis est vitium: boni etenim, vtpote a Deo conditi, sed proprio mentis arbitrio ad terras ruere de caelis; et nunc nostri torquentur inuidia, atque vniuersa commouere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus. Idcirco necessarium est donum spirituum discernendorum a Domino petere, vt possimus tantas fraudes eorum Dominicae Crucis euellere vexillo. Hoc munere quoque Paulus accepto dicebat: Non enim eius ignoramus astutias; hostile illis contra omnes Christianos odium est, maxime contra monachos: eorum semitis laqueos semper praetendunt, eorumque mentes impiis atque obscoenis cogitationibus nituntur auertere. Denique et ipsum diabolum beatus Antonius a se visum asseruit, quem et B. Iob Domino reuelante cognouerat: Oculi eius ac si species luciferi, et ex ore eius procedunt lampades incensae: renes quoque eius incendium spargunt, et ex naribus eius fumus egreditur, quasi de fornace aestuante: anima eius vt pruna, et flamma ex eius ore glomeratur. Sic ille inimicus funereas euomens voces, aliquos bene viuientium frequenter illaqueat.

**B27** *Vita Lucae abbatis Armenti in Lucinia* **Nach 993 - 11. Jh. ?**

B27-1<sup>1035</sup> [sed popularem auram fugiens,] Ceterum tantae probitatis fama brevi tempore adjacentem regionem replevit, omnesque ad eum finitimi, tamquam ad Apostolum, conveniebant: “non enim potest civitas abscondi supra montem posita.” atque “omnibus omnia factus est”, ut omnes lucrifaceret, quare et aegris medicum, et esurientibus spiritalem, et corpoream escam ministrabat, quocumque enim humano munere longe melius est Verbum Dei. Peccatorum praeterea fuit conversio, afflictorum consolatio, necessitate laborantium adiutor. Hic septem annos commoratus statuit in alium locum, ubi incognitus, privatusque esset, secedere; timens ne humano favore usus, Dominum sibi dicentem audiret: “recepisti mercedem tuam” quemadmodum Aegyptius Hilarion fecit, magni illius Alexandrini Antonii discipulus, qui similiter ne ob popularem auram aeternam perderet gloriam, Alexandria in Africam fugit; inde in Siciliam, tum Anconam Galatae civitatem, denique in Cyprum, ubi feliciter migravit, ac sicuti hic Antonius, priscis temporibus, apud Deum potens factisque magnificus, ita Beatissimus Lucas aetate sua fuit.

B27-2<sup>1036</sup> Nec id semel factum. Saepius, quemadmodum beatus confessor Nicolaus, multisque, ante, vel post mortem ad auxilium, et salutem, noster Lucas apparebat. Nam et cuidam praeterea, qui de rupe in praecipitium subiverat, adfuit, offensoque, ac vulnerato subvenit adeo, ut nullum in eo laesionis signum apparuerit. Haec, et his similia prope innumera cum ageret, fratres monere non desistebat, tum ab antiquis patribus exempla sumens, tum a suis fratribus, qui decesserant; simulque ne duorum, qui nuper defuncti erant, vitiosam, sed admirabilem potius sanctitissimi cuiusdam Antonii, qui tunc migraverat, vitam imitarentur. Qui cum totius Congregationis fuisset Oeconomus, nulla in re ulli umquam molestus, sed omnibus dulcis, mitis, obediens, atque ut paucis omnia de ejus vita, moribusque complectar, magno illi Antonio ad extremum vitae spiritum simillimus fuit.

---

<sup>1035</sup> *Vita Lucae abbatis Armenti in Lucinia* 1

<sup>1036</sup> *Ibidem* 2

- B28** *Vita Desiderii Martyris, episcopi Viennensi in Gallia* **nach 610 ?**  
 B28-1<sup>1037</sup> Nonnulli etiam ferunt manna caeleste ei a Domino, per avem, sicut sanctis Paulo et Antonio, ibidem transmissum. Quadam etiam vice, dum a fidelibus Dominum timentibus et ad eum pergentibus vasculum vino plenum fuisset delatum, et exinde longo tempore universis ad eum venientibus fuisset convivium praeparatum, nec jam se existimarent vel unius prandii refectionem ex eo posse habere; ecce subito unus ex vernaculis lacrymarum rore perfusus, ad Pontificem accurrit, dicens vinum ex toto defecisse, vasque vacuum remansisse.

## C Literaturgeschichten

- C1** *Hieronymus, De viris inlustribus liber* **393**  
 C1-1<sup>1038</sup> Athanasius, Alexandrinae urbis episcopus (...) et 'historia Antonii monachi' vitam continens  
 C1-2<sup>1039</sup> Antonius monachus, cuius vitam Athanasius, Alexandrinae episcopus, insigni volumine prosecutus est, misit aegyptiaca ad diversa monasteria apostolici sensus sermonisque epistolas septem, quae in graecam linguam translatae sunt, quarum praecipua est 'ad Arseniotas'. Floruit Constantino et filiis eius regnantibus.  
 C1-3<sup>1040</sup> Evagrius, Antiochiae episcopus, acris ac praestantis ingenii, cum adhuc esset presbyter, diversarum [hypotheseon] tractatus mihi legit, quos necdum edidit; vitam quoque beati Antonii de graeco Athanasii in nostrum sernomen transtulit.

## D Kirchengeschichten

- D1** *Rufinus, Historia ecclesiastica* **402-403**  
 D1-1<sup>1041</sup> et quanto magis se religiosius et humiliter deo subiecerat, tanto amplius ei deus universa subdebat. ad Antonium quoque primum heremi habitatorem velut ad unum ex profetis litteras suppliciter mittit, uti pro se ac liberis suis domino supplicaret. ita non solum meritis suis ac religione matris, sed et intercessione sanctorum commendabilem se Deo fieri gestiebat. sane quoniam tanti viri Antonii fecimus mentionem, de virtutibus eius atque institutis et sobrietate mentis, ut in solitudine vitam degens usus solummodo consortio fuerit bestiarum et de daemonibus crebros agens triumphos placuerit deo supra cunctos mortales utque institutionis suae praeclara usque in hodiernum monachis exempla reliquerit, volentem me aliqua exponere ille libellus exclusit, qui ab Athanasio scriptus, etiam Latino sermone editus est. propter quod nos omissis his quae ab aliis iam dicta sunt, ea memorabimus, quae quamvis gestorum contineat fides, ab his tamen, qui longe positi sunt, obscurior fama subtrahit.

<sup>1037</sup> *Vita Desiderii Martyris* 4

<sup>1038</sup> Hieronymus, *De viris inlustribus liber* LXXXVII

<sup>1039</sup> Ibidem LXXXVIII

<sup>1040</sup> Ibidem CXXV

<sup>1041</sup> Rufinus, *Historia ecclesiastica* X 8

- D1-2<sup>1042</sup> per idem tempus patres monachorum vitae et antiquitatis merito Macarius et Isidorus aliusque Macarius atque Heraclides et Pambo Antonii discipuli per Aegyptum et maxime in Nitriae deserti partibus habebantur viri, qui consortium vitae et actuum non cum ceteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur.
- D1-3<sup>1043</sup> hunc etiam beatus Antonius cum fidei Athanasii testimonium laturus adversum Arrianos de Thebaide Alexandriam descendisset, magnificis consolatus est verbis: >Nihil te<, inquit, >offendat, o Didyme, quod carnalibus oculis videris orbatus, desunt enim tibi illi oculi, quos mures et muscae et lacertae habent; sed laetare, quia habes oculos, quos angeli habent, e quibus deus videtur, per quos tibi magnum scientiae lumen accenditur,.
- D1-4<sup>1044</sup> Florebat igitur Aegyptus ea tempestate non solum eruditis in Christiana philosophia viris, verum etiam his, qui per vastam heremum conmanentes signa et prodigia apostolica simplicitate vitae et cordis sinceritate faciebant. ex quibus interim quos ipsi vidimus et quorum benedici manibus meruimus, hi sunt: Macarius de superiori heremo aliusque Macarius de inferiore, Isidorus in Scytiis, Pambo in Cellulis, Moyses et Benjamin in Nitria, Scyrion et Helias et Paulus in Apeliote, alius Paulus in Focis, Poemen et Ioseph in Pispiri, qui appellabatur mons Antonii. sed et alios quam plures huiusmodi viros in Aegypti partibus habitare fidei conperimus auditu, ut vere conpleretur apostoli dictum: Quia ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. habuit autem per idem tempus etiam Mesopotamia viros nobiles, eisdem studiis pollentes. quorum aliquantos ipsi per nos apud Edessam et in Carrarum partibus vidimus, plures autem auditione didicimus.

**D2 Cassiodorus Vivariensis (Senator) und Epiphanius,  
*Historia ecclesiastica tripartita***

540-560

- D2-1<sup>1045</sup> Sed sive Aegyptii sive alii quidam huic ab initio philosophiae praefuerunt, illud tamen apud omnes constat, quia ad summam reverentiam atque perfectionem moribus exercitationibusque decentibus hanc conversationem usque perduxit Antonius maximus monachorum. Quem tunc in desertis Aegypti morantem propter gloriam virtutis eius imperator Constantinus amicum fecerat, litteris honorabat et, ut, pro quibus vellet, ei rescriberet, expetebat. Fuit autem iste vir Aegyptius genere, ortus in insigni vico in loco Heracliae apud Aegyptios constituto. Is puer relictus orfanus paternos donavit agros convicaneis suis, aliam vero substantiam disponens pretium pauperibus erogavit studiosi existimans esse philosophi non solum semet ipsum spoliare pecuniis, sed eas dispensare proficue. Iunctus autem studiosis secundum se viris virtutes zelabatur universorum. Probans bonam vitam suavem fieri ipsa consuetudine, licet fuerit primo difficilis, modos adinveniebat abstinentiae potioris et cottidie exercitatione crescebat. Tamquam semper incipiens aliquid innovabat afflictionibus corporis puniendo libidinem, sacrae vero sapientiae voluntate passionibus animae repugnando. Erat enim eius esca solus panis et sal, potus

<sup>1042</sup> Ibidem XI 4

<sup>1043</sup> Ibidem XI 8

<sup>1044</sup> Ibidem XI 9

<sup>1045</sup> Cassiodorus und Epiphanius, *Historia ecclesiastica tripartita* I,11-26

aqua prandiique tempus solis occasus; frequenter enim duo et amplius dies sine cibo manebat. Vigilabat, ut ita dicatur, semper quidem iugi nocte et orationibus contingebat quidem diem; si vero somnus incumberet, stando paululum dormiebat, plerumque pavimento iacens solamque terram stratum refectionis habens. Olei siquidem unctionem, lavacrorum atque similium usum modis omnibus evitabat; quia unctione sua in mollitiem robur corporis immutaret; aiunt enim neque nudum eum aliquando visum. Litteras vero neque sciens, neque mirabatur, sed potius mentem bonam tamquam seniore litterarum; quarum tamen inventorem iure laudabat. Fuit autem praecipue clementissimus, castus, fortis, gratus colloquentibus, sine ulla tristitia, et licet qui cum eo disputarent, certative quaestiones inferrent, tamen more solito sapienter et disciplinabiliter crescentem sedabat saepe contentionem et ad mensuram debitam protinus transferebat loquentiumque sibi strepitum temperabat eorumque mores veluti quadam regula componebat. Tantis itaque virtutibus divina providentia redundans [eum] futura praescire non aestimabat esse virtutem et propterea nec laborandum inaniter circa talia suadebat, quando nec ignorantem futura poenae succumbere nec scientem propterea sanctum esse declarabat. Veram namque beatitudinem in cultura Dei et legum eius observatione dicebat. Si cui autem haec esset cura, docebat, ut purgaret animam, quo posset inspicere et futurorum notitiam possidere deo videlicet praescientiam declarante. Vacare autem nec ipse patiebatur et bene victurum semper operari praecipiebat semet ipsum discutere et secum ponere rationem eorum, quae gessit die noctuque; si quid autem indecens ageret, conscriberet, ut de cetero parceret in delicto, semet ipsum scilicet erubescens, si plurima sui delicta comperisset; simul etiam metuens, ne per conscriptionis indicium fieret aliis manifestus. Erat enim laboriosus, et maxime pro solaciis oppressorum. Quis etenim alter sic ferventissime fuit studiosus, quorum gratia saepe veniebat ad civitates? Plurimi namque vi compellente cogebant eum legatione fungi apud iudices et magistratus, quorum singuli vel videre eum iudicabant nimis egregium, loquentem audire et praecipienti parere gloriosum. Qui, cum talis esset, studebat tamen ignorari et latere per heremum. Si vero necessitate faciente venisset in civitatem, disposito negotio, pro quo venerat, ad desertum continuo revertebatur. Pisces namque dicebat per unctionem nutriri substantiam, monachis autem ornatum ferre solitariam vitam. Et, sicut illi terrae tactu tabefiunt, sic gloria monachorum ad urbes accedendo foedatur. Oboedientem vero se gratumque conspicientibus exhibebat, studebatque, ut neque haberet tumentem superbamque naturam nec putaretur huiusmodi. Sed haec quidem pauca virtutum Antonii dicere sum compulsus, ut tanti viri per haec exempla consideremus philosophiam. Plurimos igitur atque probatissimos habuit auditores, quorum alii quidem in Aegypto et Libya, alii vero in Palaestina et Syria et Arabia claruerunt; et unusquisque eorum non minus quam doctor, apud quos est commoratus, exercuit multosque docuit et ad similem virtutem philosophiamque perduxit, ita ut quorundam hic labor esset circumire per civitates et provincias vel per agros et diligenter Antonii discipulos eorumque requirere successores. Sed quomodo poterant inveniri facile, quibus erat studium diligentissimum in sua vita latere et non sicut plurimi nunc hominum elati per gloriam semet ipsos expompant et cunctis insinuant? Fuerunt itaque probatissimi discipuli, quos percepimus, Antonii alii quidem multi nec non et

Paulus appellatione Simplex. Hunc aiunt, cum rusticus esset, bona specie coniugem habuisse et ea in ipso facinore adulterii deprehensa tacite subrisisse et iureiurando firmasse numquam se cum ea esse miscendum. Tum ad adulterum: 'Habe', inquit, 'eam', et repente discessit ad heremum apud Antonium. Dicunt enim eum mansuetissimum et patientem valde fuisse. Denique cum iam senex esset et ad vitam monachicae perdurantis insuetus, omnibus eum Antonius experimentis exercens in nullo invenit inferiorem perfectaeque eum philosophiae esse testatus seorsum praecepit habitare tamquam non egentem doctore. Confirmabat autem deus Antonii testimonium et operibus ostendebat virum esse gloriosum, ipsoque doctore superiorem atque ad affligendos et expellendos daemones praeparatum.

- D2-2<sup>1046</sup> Quando igitur Amus iste moriebatur, dicitur Antonium vidisse animam eius in caelum ferri divinis potestatibus cum psalmodia praecedentibus eam. Consulentibusque eis, qui circa eum erant, causam huius miraculi non abscondit. Sciebant enim, quoniam aerem intento obtutu respiciens cum stupore miraculi cuiuspiam respiceret visionem. Cumque venientes postea quidam de Scite nuntiassent horam visionis Antonii et convenisset cum transitu illius viri, beatificaverunt ambos: illum quidem, quia ad manifesta bona transisset, illum vero, quia tantam a longe meruisset cernere visionem. Multo enim dierum iter est locorum <in> medio positorum, quo degebat alteruter. Et haec quidem ita relata sunt.
- D2-3<sup>1047</sup> (...) Fertur enim, quia eum pro maxima virtute conversationis sapientiaeque laudaverit. Aiunt quidam, antequam sub Constantio imperatore Ariani tenerent ecclesias, somnium vidisse Antonium monachum, quasi burdones altare sacrum calcibus evertissent, expertumque dixisse, quoniam ab adulteris et permixtis dogmatibus ecclesia calcaretur. Quae non fuisse mendacia posterior monstravit eventus.
- D2-4<sup>1048</sup> (...) Viri quidam in Aegypto conversationem imitantes angelorum et civitatis evitantes turbas vitam habere in heremum potius elegerunt harenosamque terram et sterilem fructiferam reddiderunt, fructum quippe deo suavissimum virtutis eorum et optimum referentee. Cuius deserti multi quidem videntur victores; sed a puero illic crevit Antonius famosissimus monachis virtutem luctaminis spiritualis ostendens.
- D2-5<sup>1049</sup> Huius ergo loci tunc incolas, sequaces Antonii, infelix lucius expulit. Eorumque sanctissimos praesules Macarium venerabilem aliumque Macarium, Isidorum et ceteros speluncis suis eiciens in quandam insulam (...)
- D2-6<sup>1050</sup> Quidam tunc philosophorum accessit ad iustum Antonium dicens: 'Quomodo sufficis, o pater, codicum consolatione privatus?' Ad quem Antonius: 'O', inquit, 'philosophe, meus codex natura creaturarum est et adest, cum voluero, verbaque mihi relegit dei'.
- D2-7<sup>1051</sup> Stephanus autem circa Mareotem habitavit perfecta degens et integra

---

<sup>1046</sup> Ibidem I,11,33

<sup>1047</sup> Ibidem VII,5,4-5

<sup>1048</sup> Ibidem VII,38,3-4

<sup>1049</sup> Ibidem VII,39,1

<sup>1050</sup> Ibidem VIII,1,19

<sup>1051</sup> Ibidem VIII,1,79-80

continentia. Qui circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit et Antonio magno notissimus.

D2-8<sup>1052</sup> (...) Hoc enim et in Alexandria temporibus Constantii fecit magnus Antonius. Deserens enim solitudinem totas circuibat urbes satisfaciens universis, quoniam Athanasius doctrinae apostolicae praedicator extaret et hostes essent veritatis participes Arii. Sic igitur sciebant illi sacratissimi viri, quid tempori unicuique congrueret et, quando opus esset frui quiete, quando necessarium, solitudini praeponere civitates.

D2-9<sup>1053</sup> (...) Fertur enim, cum Antonius Valentis tempore propter Arianos venisset in Alexandriam, vidisse Didymum eique dixisse: 'Non te conturbet, o Didyme, amissio sensibilibus oculorum; tales etenim oculi tibi desunt, quibus et muscae et culices nocere possunt. Sed gaude potius, quoniam habes oculos, quibus etiam angeli contuentur, per quos videtur deus et eius lumen inspicitur.

**D3** **Haimo von Auxerre, *Historiae sacrae epitome sive de christianarum rerum memoriae* vor 855**

D3-1<sup>1054</sup> (...) Tunc sanctus Antonius monachus Aegypto dicitur exortus.

D3-2<sup>1055</sup> (...) Patresque monachorum Aegypti, Macarium, Isidorum, aliumque Macarium, Heraclidem, et Paulum, discipulos Antonii, tradidit exilio, qui vitae merito insignes et virtutibus admirabiles habebantur.

D3-3<sup>1056</sup> Hunc beatus Antonius, cum fidei Athanasii testimonium laturus adversum Arianos de Thebaide descendisset, magnificis consolatus est verbis: Nihil te, inquit, offendat, Didyme, quod carnalibus oculis videris orbatus. Desunt tibi oculi quos mures, muscae, et lacertae habent; sed laetare, quia habes oculos quos angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiae lumen accenditur.

## **E Weltchroniken und Annalen**

**E1 Hieronymus, *Chronicon* 378**

E1-1<sup>1057</sup> Romanorum XXV, regnavit Decius ann I mens III (...) Antonius monachus in Aegypto nascitur.

E1-2<sup>1058</sup> Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.

E1-3<sup>1059</sup> Antonius monachus CV aetatis anno in heremo moritur solitus multis ad se uenientibus de Paulo quodam Thebaeo mirae beatitudinis uiro referre, cuius nos exitum brevi libello explicuimus.

E1-4<sup>1060</sup> Sarmata, Amatas et Macarius discipuli Antonii insignes habentur.

E1-5<sup>1061</sup> Sarraceni in Monasterium beati Antonii intrantes Sarmatam interficiunt.

---

<sup>1052</sup> Ibidem VIII,4,3-4

<sup>1053</sup> Ibidem VIII,8,5

<sup>1054</sup> Haimo von Auxerre, *Historiae sacrae epitome sive de christianarum rerum memoriae* V 12

<sup>1055</sup> Ibidem X 2

<sup>1056</sup> Ibidem X 2

<sup>1057</sup> Hieronymus, *Chronicon* Anno 251

<sup>1058</sup> Ibidem Anno 335

<sup>1059</sup> Ibidem Anno 356

<sup>1060</sup> Ibidem Anno 356



- E2** **Prosper aus Aquitanien, *Chronicum Integrum*** **443-455**  
 E2-1<sup>1062</sup> Decio II et Rustico. Septima persecutio. (...) Antonius monachus nascitur.  
 E2-2<sup>1063</sup> Constantio et Albino. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium monachum litteras mittit.  
 E2-3<sup>1064</sup> Constantio VIII et Juliano Caes. Antonius monachus centesimo aetatis anno in heremo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebeo mirae beatitudinis viro referre complura.  
 E2-4<sup>1065</sup> Sarmata, Amathas et Macarius discipuli Antonii insignes habentur.
- E3** **Victor von Tonnuna, *Chronicon*** **um 566**  
 E3-1<sup>1066</sup> Post consulatum Basilii v. c. anno 21 (A. 561) corpus sancti Antonii heremitae repertum cum maximo honore Alexandriam perducitur et in basilica sancti Iohannis baptistae honorifice collocatur.
- E4** **Gregorius von Tours, *Decem libri historiarum (Historia Francorum)*** **591**  
 E4-1<sup>1067</sup> Nono decimo Constantini iunioris anno Antonius monachus transiit centesimo quinto aetatis anno.
- E5** **Isidorus von Sevilla, *Chronica maiora*** **615 / 624**  
 E5-1<sup>1068</sup> Sanctus Antonius monachus Aegypto docetur exortus [a quo prius monasteria condita sunt]  
 E5-2<sup>1069</sup> Antonius monachus [CV annorum in heremo] moritur  
 E5-3<sup>1070</sup> Per idem tempus corpus sancti Antonii monachi divina revelatione repertum Alexandriae perducitur et in ecclesia sancti Iohannis baptistae humatur.
- E6** **Isidorus von Sevilla, *Chronica minora*** **627**  
 E6-1<sup>1071</sup> Antonius monachus claruit
- E7** ***Fredegar-Chronik*** **658-660**  
 E7-1<sup>1072</sup> Antunius (sic!) monachus in Aegypto nascitur  
 E7-2<sup>1073</sup> Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antunium litteras mittit  
 E7-3<sup>1074</sup> Antunius monachus centesimo quinto aetatis suae ann. moritur, de Paulo quodam Tibeo mire beatitudinis vero referre. Cuius in exitum breve libello explecuemus.

---

<sup>1061</sup> Ibidem Anno 356  
<sup>1062</sup> Prosper aus Aquitanien, *Chronicon Integrum* Anno 251  
<sup>1063</sup> Ibidem Anno 335  
<sup>1064</sup> Ibidem Anno 356  
<sup>1065</sup> Ibidem Anno 356  
<sup>1066</sup> Victor von Tonnuna, *Chronicon* Anno 561  
<sup>1067</sup> Gregorius von Tours, *Decem libri historiarum* I 38  
<sup>1068</sup> Isidorus von Sevilla, *Chronica maiora* Anno 306  
<sup>1069</sup> Ibidem Anno 341  
<sup>1070</sup> Ibidem Anno 400  
<sup>1071</sup> Isidorus von Sevilla, *Chronica minora* 205 (=306)  
<sup>1072</sup> *Fredegar-Chronik* II 39A  
<sup>1073</sup> Ibidem II 42A  
<sup>1074</sup> Ibidem II 44A

- E7-4<sup>1075</sup> Sarracini in monasterium beati Antuniae inruentis, Sarmatam interficiunt
- E8** **Beda Venerabilis, *De temporibus liber (=Chronica minora)*** **um 703**  
 E8-1<sup>1076</sup> Decius ann. I. Antonius monachus claruit
- E9** **Beda Venerabilis, *De temporum ratione liber (=Chronica maiora)*** **725**  
 E9-1<sup>1077</sup> Antonius monachus CV aetatis anno in heremo moritur  
 E9-2<sup>1078</sup> Corpus sancti Antoni monachi divina revelatione repertum Alexandriam defertur, et in ecclesia beati baptistae Ioannis humatur.
- E10** ***Chronicon Universale*** **741**  
 E10-1<sup>1079</sup> Corpus sancti Antonii monachi divina revelacione repertum Alexandriam defertur et in ecclesia beati Iohannis baptiste humatur.
- E11** **Frechulf von Lisieux, *Chronicorum Tomi Duo*** **vor 830**  
 E11-1<sup>1080</sup> (...) tunc etiam Alexandriae decimus novus ordinatur episcopus Athanasius. Illis equidem diebus Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit, de quibus in subsequenti, opitulante Deo, latius dicemus.  
 E11-2<sup>1081</sup> Quo imperante claruerunt viri eruditi, quorum scribendo exstant monumenta: Antonius monachus, cuius vitam Athanasius episcopus Alexandrinae Ecclesiae insigni volumine persecutus est. Misit Aegyptiace ad diversa monasteria apostolico sensu sermoneque epistolas septem, quae in Graecam linguam translatae sunt: quarum praecipua est ad Arsetas. Floruit praecipue Constantino et filiis ejus regnantibus. Qui de Paulo quodam Thebeo, mirae beatitudinis viro, ad se venientibus plurima referebat, cuius exitum Hieronymus brevi libello explicuit.  
 E11-3<sup>1082</sup> (...) Imperantibus praedictis principibus Athanasius Alexandriae doctrina ac religione vera in pace degens clarus satis habetur: qui sub Constantio ac Juliano principibus multa pertulerat incommoda pro fide nostra. Feruntur ejus adversum gentes libri duo, et contra Valentem et Ursatium liber unus, et de Virginitate liber unus, et de persecutionibus Arianorum plurimi, et de Psalmorum titulis, et in historia Antonii monachi vitam eius continentes epistolae, et multa alia, quae enumerare longum est.  
 E11-5<sup>1083</sup> (...) Paemen et Ioseph in Pispiri, qui appellatur mons Antonii.  
 E11-6<sup>1084</sup> (...) Itaque eo imperante, corpus S. Antonii monachi divina revelatione repertum Alexandriam defertur, et in ecclesia B. Iohannis Baptistae humatur.

---

<sup>1075</sup> Ibidem II 44A

<sup>1076</sup> Beda Venerabilis, *De temporibus liber* XXII

<sup>1077</sup> Beda Venerabilis, *De temporum ratione liber* Anno 430

<sup>1078</sup> Ibidem Anno 517

<sup>1079</sup> *Chronicon Universale* (Seite 11, Zeilen 23-24)

<sup>1080</sup> Frechulf von Lisieux, *Chronicorum Tomi Duo* II,3,21

<sup>1081</sup> Ibidem II,4,8

<sup>1082</sup> Ibidem II,4,14

<sup>1083</sup> Ibidem II,4,18

<sup>1084</sup> Ibidem II,5,22

- E12**      **Ado von Vienne, *Chronicon de sex aetatibus mundi***      **870**  
E12-1<sup>1085</sup>      Antonius monachus centesimo quinto aetatis anno in eremo moritur.  
E12-2<sup>1086</sup>      Per idem tempus corpus S. Antoni monachi, divina revelatione repertum, Alexandriam perducitur, et in ecclesia sancti Joannis Baptistae humatur.
- E13**      ***Chronicon Albeldense***      **883**  
E13-1<sup>1087</sup>      Decius regnavit an. II. Persequutor Christianorum fuit. Huius tempore sanctus Antonius monachus clarus habetur; a quo prius monasteria condita sunt.  
E13-2<sup>1088</sup>      Antonius monachus moritur.  
E13-3<sup>1089</sup>      Per idem tempus corpus sancti Antonii monachi diuina revelatione repertum Alexandriam perducitur et in ecclesia sancti Iohannis humatur.
- E14**      ***Chronicon Vedastinum***      **1. Fassung, 9. Jh.**  
E14-1<sup>1090</sup>      Per idem tempus corpus sancti Antonii monachi divina revelatione repertum in Alexandria perducitur et in ecclesia sancti Iohannis baptistae humatur.
- E15**      ***Annales Quedlinburgenses***      **993**  
E15-1<sup>1091</sup>      Antonius monachus in Aegypto claruit.
- E16**      ***Annales Hildesheimenses (pars prima)***      **994-997**  
E16-1<sup>1092</sup>      Decius ann.1. Antonius monachus Aegypto docetur exortus, a quo primum monasteria condita sunt
- E17**      **Hermann von Reichenau, *Chronicon de sex aetatibus mundi***      **1054**  
E17-1<sup>1093</sup>      Antonius in Aegypto nascitur.  
E17-2<sup>1094</sup>      Antonius monachus clarus habetur.  
E17-3<sup>1095</sup>      Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.  
E17-4<sup>1096</sup>      Antonius monachus 105 aetatis suae anno in eremo moritur. Multi eremitae claruerunt.  
E17-5<sup>1097</sup>      Huius Iustiniani tempore corpus sancti Antonii monachi divinitus revelatum et Alexandriam translatum, in ecclesia sancti Ioannis baptistae tumulatum est.
- E18**      **Lampert von Hersfeld, *Annales***      **1077**  
E18-1<sup>1098</sup>      Decius anno 1. Antonius monachus oritur.

---

<sup>1085</sup>      Ado von Vienne, *Chronicon de sex aetatibus mundi* Aetas sexta 337  
<sup>1086</sup>      Ibidem Aetas sexta 527  
<sup>1087</sup>      *Chronicon Albeldense* 3  
<sup>1088</sup>      Ibidem 4  
<sup>1089</sup>      Ibidem 5  
<sup>1090</sup>      *Chronicon Vedastinum* (684, 45-46)  
<sup>1091</sup>      *Annales Quedlinburgenses* (28, 2-3)  
<sup>1092</sup>      *Annales Hildesheimenses*, Anno 253  
<sup>1093</sup>      Hermann von Reichenau, *Chronicon de sex aetatibus mundi* Anno 252  
<sup>1094</sup>      Ibidem Anno 333  
<sup>1095</sup>      Ibidem Anno 334  
<sup>1096</sup>      Ibidem Anno 352  
<sup>1097</sup>      Ibidem Anno 542  
<sup>1098</sup>      Lampert von Hersfeld, *Annales* (7, 12)

<b>E19</b>	<b>Marianus Scottus, <i>Chronicon</i></b>	<b>1082</b>
E19-1 <sup>1099</sup>	[Antonius monachus Egipto docetur exortus.]	
E19-2 <sup>1100</sup>	Africanus et Decius. Antonius monachus in Aegipto nascitur	
E19-3 <sup>1101</sup>	Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.	
E19-4 <sup>1102</sup>	Constantius 9. et Iulianus 2. Antonius monachus 105. aetatis anno in herimo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebeo, mirae beatitudinis viro, referre; cuius nos exitum brevi libello explicavimus.	
E19-5 <sup>1103</sup>	Sarmata, Armato et Macharius, discipuli Antoni, insignes habentur.	
E19-6 <sup>1104</sup>	Titianus et Cerealis. Saraceni in monasterium beati Antoni irruentes, Sarmatam interficiunt.	
E19-7 <sup>1105</sup>	Stephanus per annos 40 probatus et magno Antonio notissimus	
E19-8 <sup>1106</sup>	Pro cons. Lampadii et Orestis iterum. Corpus sancti Antonii monachi a Deo revelatum Alexandriam deffertur, et in aeclesia beati Iohannis babtistae humatur.	
<b>E20</b>	<b>Bernold von Konstanz, <i>Chronicon</i></b>	<b>1100</b>
E20-1 <sup>1107</sup>	Antonius monachus clarus habetur	
E20-2 <sup>1108</sup>	Antonius monachus centesimo quinto aetatis suae anno in heremo moritur; quo tempore multi heremitae virtutibus claruerunt.	
E20-3 <sup>1109</sup>	Huius Iustiniani tempore corpus sancti Antonii monachi divinitus revaelatum, Alexandriam transfertur.	
<b>F</b>	<b>Martyrologia</b>	
<b>F1</b>	<b>Pseudo-Hieronymus, <i>Martyrologium (Martyrologium Hieronymianum)</i></b>	<b>5. Jh.</b>
F1-1 <sup>1110</sup>	In Aegypto depositio Antonii monachi. (...)	
<b>F2</b>	<b><i>Martyrologium von Achery</i></b>	<b>8. Jh.</b>
F2-1 <sup>1111</sup>	Sedecimas Antonius obtinet atque Kalendas.	
<b>F3</b>	<b>Beda Venerabilis, <i>Martyrologium</i></b>	<b>725-731</b>
F3-1 <sup>1112</sup>	In Aegypto, depositio Antonii Monachi	

---

<sup>1099</sup> Marianus Scottus, *Chronicon* Anno 264  
<sup>1100</sup> Ibidem Anno 265  
<sup>1101</sup> Ibidem Anno 350  
<sup>1102</sup> Ibidem Anno 371  
<sup>1103</sup> Ibidem Anno 371  
<sup>1104</sup> Ibidem Anno 372  
<sup>1105</sup> Ibidem Anno 394  
<sup>1106</sup> Ibidem Anno 552  
<sup>1107</sup> Bernold von Konstanz, *Chronicon* Anno 330  
<sup>1108</sup> Ibidem Anno 351  
<sup>1109</sup> Ibidem Anno 542  
<sup>1110</sup> Pseudo-Hieronymus, *Martyrologium* XVI kal. Febr.  
<sup>1111</sup> *Martyrologium von Achery* Ian.  
<sup>1112</sup> Beda Venerabilis, *Martyrologium* 17 Janvier, B.

- F4** **Florus von Lyon, *Martyrologium*** **um 840**  
 F4-1<sup>1113</sup> Natale Pauli primi eremitaе: qui a sexto decimo anno usque ad centesimum tertium decimum solus in eremo permansit; cuius animam inter apostolorum et prophetarum choros ad caelum ferri ab angelis Antonius vidit.  
 F4-2<sup>1114</sup> In Aegypto, apud Thebaidem, beati Antonii monachi cuius corpus, sub Iustiniano imperatore divina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, et in ecclesia beati baptistae Iohannis humatum.
- F5** **Hraban, *Martyrologium*** **um 843**  
 F5-1<sup>1115</sup> Natale Pauli, primi anachoretae, cuius vitam beatus Hieronymus scripsit, qui a XVI aetatis suae anno usque ad CXIII solus in heremo permansit, sed a Domino per coruum pastus, tunica palmarum foliis contexta usus est. Cuius inter apostolorum et prophetarum choros animam ad caelum ferri ab angelis Antonius uidit.  
 F5-2<sup>1116</sup> In Aegypto Thebaida depositio Antonii monachi, cuius uita uirtutibus plena et miracula quae fecit, scriptis et fama pene in uniuerso orbe praedicantur. Obiit autem in pace sub imperatore Constantio anno aetatis suae centesimo quinto et sepultus in heremo a discipulis suis, sicut ipse uiuens praeceperat, occultatus est. Post multa autem annorum curricula, hoc est Iustiniani imperatoris temporibus, qui fuit Iustini ex sorore nepos, corpus eius diuina revelatione repertum Alexandriam defertur et in ecclesia Baptistae Ioannis humatur.
- F6** **Wandalbert von Prüm, *Carmina*** **848**  
 F6-1<sup>1117</sup> Sextaque cum decima Antoni uirtute dicatur.
- F7**<sup>1118</sup> **Ado von Vienne, *Martyrologium*** **855**  
 F7-1<sup>1119</sup> Apud Thebaidem, natale sancti (*Beati 2. Version*) Pauli eremitaе, qui a sexto decimo aetatis suae anno usque ad centesimum et tertium decimum solus in eremo permansit. Cuius animam inter apostolorum et prophetarum choros ad caelum ferri ab angelis sanctus (*beatus 2. Version*) Antonius uidit.  
 F7-2<sup>1120</sup> Item (*in Aegypto 2. Version*) beati Macarii abbatis, discipuli beati Antonii, uita et miraculis celeberrimi.  
 F7-3<sup>1121</sup> 1. *Familie*: In Aegypto apud Thebaidem, beati Antonii monachi, qui sine ulla scientia litterarum Scripturas diuinas, et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse praedicatur, multorum monachorum pater, uita et miraculis praeclarissimus uixit. Cuius corpus sub Iustiniano imperatore diuina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, et in ecclesia beati

---

<sup>1113</sup> Florus von Lyon, *Martyrologium* 10 Janvier, IV Idus Ianuarii, F.

<sup>1114</sup> Ibidem 17 Janvier, 1 bis.

<sup>1115</sup> Hraban, *Martyrologium* IIII Idus Ian. <10 Ian>.

<sup>1116</sup> Ibidem XVI kal. febr <17 Ian>.

<sup>1117</sup> Wandalbert von Prüm, *Martyrologium* Ian.

<sup>1118</sup> Die Angaben sind zitiert nach der ersten Version. Eventuellen Änderungen in der zweiten oder dritten Fassung oder zwischen der ersten und zweiten Familie sind kursiviert worden.

<sup>1119</sup> Ado von Vienne, *Martyrologium* IIII Idus Jan. (10 Jan.)

<sup>1120</sup> Ibidem XVIII kal. Febr. (15. Jan.)

<sup>1121</sup> Ibidem XVI kal. Februarii (17 Jan.)

Ioannis Baptistae humatum.

2. *Familie: Natale beati Antonii monachi qui multorum monachorum pater, vita et miraculis praeclarissimus vixit. Cuius corpus sub Iustiniano imperatore divina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, et in ecclesia beati Ioannis Baptistae humatum.*

F7-4<sup>1122</sup> [Hilarion] Audiens autem celebre nomen Antonii, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi eum studio, perrexit ac eremum; et statim ut eum vidit, mutato pristino habitu, duobus mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinem vitae eius, morumque gravitatem; quam crebrer in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, et ut continentiam cibique eius asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. Reversus autem cum quibusdam monachis ad patriam, parentibus iam defunctis, partem substantiae fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino servans. Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus et armatus in Christo solitudinem ingressus est, sacco tantum coopertus, et pelliceum habens ependyten, et tenattem quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum; quindecim tantum caricas post solis occasum comedens.

**F8** **Usuard von St. Germain, *Martyrologium*** **859**

F8-1<sup>1123</sup> In Thebaide, natalis beati Pauli primi heremitaе, cuius animam inter apostolorum, et prophetarum choros ad caelum ferri ab angelis sanctus Antonius vidit.

F8-2<sup>1124</sup> Apud Aegyptum, beati Macharii abbatis, discipuli beati Antonii vita et miraculis celeberrimi.

F8-3<sup>1125</sup> Apud Thebaidem, beati Antonii monachi, cuius corpus, sub Iustiniano imperatore divina revelatione repertum, Alexandriae delatum est, et in ecclesia sancti Iohannis Baptistae humatum.

**F9** **Notker Balbulus, *Martyrologium*** **896**

F9-1<sup>1126</sup> Apud Thebaidem nativitas sancti Pauli primi eremitaе, qui a sexto decimo aetatis suae anno usque ad nonagesimum tertium solus in eremo permansit. Cujus animam inter apostolorum et prophetarum choros ad coelum ferri ab angelis Antonius vidit.

F9-2<sup>1127</sup> Item Macharii abbatis, discipuli S. Antonii.

F9-3<sup>1128</sup> In Aegypto apud Thebaidem, depositio B. Antonii monachi, qui sine ulla scientia litterarum, Scripturas divinas, et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse et inimitabilem vitam ac miraculis claram a pueritia usque ad decrepitam senectutem duxisse, et multos sanctitatis suae discipulos reliquisse, toto orbe Christiano praedicatur.

<sup>1122</sup> Ibidem XII Kal. Nov. (21 Okt.)

<sup>1123</sup> Usuard von St. Germain, *Martyrologium* IIII ID. Ian (10 Ian.)

<sup>1124</sup> Ibidem XVIII Kl. Febr. (15 Ian.) 2

<sup>1125</sup> Ibidem XVI Kl. Febr. (17 Ian.) 1

<sup>1126</sup> Notker Balbulus, *Martyrologium* IV Id. Jan.

<sup>1127</sup> Ibidem IV Id. Jan.

<sup>1128</sup> Ibidem XVI kal. Febr.

F9-4<sup>1129</sup> Nativitas S. Patris nostri Athanasii Alexandrinae urbis episcopi et confessoris; (...) Vitam sancti Antonii anachoretæ futuris generationibus profuturam, eleganti sermone, et plurima sapientia refertam, scriptam relinquit.

## G Andere monastische und theologische Texte

**G1 Faustinus und Marcellinus, *Adversus Damasum libellus precum ad imperatores* 383/384**

G1-1<sup>1130</sup> Ad hanc obseruantiam plerique eorum eruditi sunt exemplo et motu beatissimi Pauli, qui isdem fuit temporibus, quibus et famosissimus ille Antonius, non minori uita neque studio neque diuina gratia quam fuit sanctus Antonius.

**G2 Hieronymus, *Epistula ad Eustochium, Paulae filiam* 384**

G2-1<sup>1131</sup> Verum quia nunc de uirginibus scribens paene superflue de monachis disputavi, ad tertium genus veniam, quos anachoretas uocant et qui de coenobiis exeuntes, excepto pane et sale, ad amplius deserta nil perferunt. Huius uitae auctor Paulus, inlustrator Antonius et, ut ad superiora conscendam, princeps Iohannes Baptista fuit.

**G3 Hieronymus, *Epistula ad Pammachium. De optimo genere interpretandi* 395/396**

G3-1<sup>1132</sup> Verum ne meorum parua sit auctoritas quamquam hoc tantum probare uoluerim, me semper ab adulescentia non uerba, sed sententias transtulisse, qualis super hoc genere praefatiuncula sit, in libro, quo beati Antonii Vita describitur, ipsius lectione cognosce. "Ex alia in aliam linguam ad uerbum expressa translatio sensus operit et ueluti laeto gramine sata strangulat. Dum enim casibus et figuris seruit oratio, quod breui poterat indicare sermone, longo ambitu circumacta uix explicat." Hoc igitur ego uitans ita beatum Antonium te petente transposui, ut nihil desit ex sensu, cum aliquid desit ex uerbis. Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias. Dies me deficiet, si omnium qui ad sensum interpretati sunt, testimonia replicauero.

**G4 Hieronymus, *Epistula ad Paulinum* 395/396**

G4-1<sup>1133</sup> Et de Hierosolymis et de Britannia aequaliter patet aula caelestis; regnum enim Dei intra nos est. Antonius et cuncta Aegypti, et Mesopotamiae, Ponti, Cappadociae et Armeniae examina monachorum non uidere Hierosolymam, et patet illis absque hac urbe paradisi ianua. Beatus Hilarion, cum Palaestinus esset, in Palaestina uiveret, uno tantum die uidit Hierosolymam, ut nec contemneret sancta loca propter uiciniam, nec rursus Deum loco cludere uideretur. Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta in loco resurrectionis simulacrum Iouis, in Crucis rupe

<sup>1129</sup> Ibidem VI non. Maii

<sup>1130</sup> Faustinus und Marcellinus, *Adversus Damasum libellus precum ad imperatores* I, 33.

<sup>1131</sup> Hieronymus, *Ep.* 22

<sup>1132</sup> Hieronymus, *Ep.* 57

<sup>1133</sup> Hieronymus, *Ep.* 58

- (...)
- G4-2<sup>1134</sup> Nos autem habemus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Macarios; et ut ad scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Helias, noster Helisaeus, nostri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudine et faciebant sibi tabernacula propter fluentia Iordanis.
- G5 Hieronymus, *Epistula ad Castricianum* 397**
- G5-1<sup>1135</sup> 2. Et ne veteres replicando historias, longum faciam et excedam mensuram epistulae, brevem tibi fabellam referam, quae infantiae meae temporibus accidit. Beatus Antonius cum a sancto Athanasio, Alexandriae episcopo, propter confutationem hereticorum, in urbem esset accitus et isset ad eum Didymus, vir eruditissimus, captus oculis, inter ceteras sermocinationes, quas de scripturis sanctis habebant, cum eius admiraretur ingenium et acumen animi conlaudaret, sciscitans ait: 'Num tristis es, quod oculis carnis careas?' Cum ille pudore reticeret, secundo tertioque interrogans tandem elicit, ut maerorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius: 'Miror', ait, 'prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicae et muscae et culices habeant, et non laetari illius possessione, quam soli sancti et Apostoli meruerunt'. Ex quo pervides, quod multo melius sit spiritu videre quam carne et illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere.
- G6 Augustinus, *Confessiones* 397-401**
- G6-1<sup>1136</sup> (...) Cui ego cum indicassem illis me scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio Aegyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud seruos tuos, nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum uirum ignorantibus et admirans eandem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria et prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide recta et catholica ecclesia. Omnes mirabamur, et nos quia tam magna erant, et ille quia inaudita nobis erant.
- G6-2<sup>1137</sup> (...) sed illos uagabundos inruisse in quandam casam, ubi habitabant quidam serui tui, spiritu pauperes, qualium est regnum caelorum, et inuenisse ibi codicem in quo scripta erat uita Antonii. Quam legere coepit unus eorum et mirari et accendi et inter legendum meditari arripere talem uitam, et relicta militia saeculari seruire tibi. Erant autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus.
- G6-3<sup>1138</sup> (...) Dicebam haec et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio uocem de uicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellae, nescio: "Tolle lege, tolle lege". Statimque mutato uultu intentissimus cogitare coepi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audisse me uspiam repressoque impetu lacrimarum surrexi nihil aliud interpretans divinitus mihi iuberi nisi ut aperirem codicem et legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex euangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit,

---

<sup>1134</sup> Hieronymus, *Ep.* 58

<sup>1135</sup> Hieronymus, *Ep.* 68

<sup>1136</sup> Augustinus, *Confessiones* VIII 6

<sup>1137</sup> Ibidem VIII 6

<sup>1138</sup> Ibidem VIII 12



tamquam sibi diceretur quod legebatur: Vade, uende omnia, quae habes, da pauperibus et habebis thesaurum in caelis; et ueni, sequere me et tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus redii ad eum locum ubi sedebat Alypius: (...)

- G7** **Rufinus, *Apologia (contra Hieronymum)*** **399-401**  
 G7-1<sup>1139</sup> Ego, qui sex annis Dei causa demoratus sum, et iterum, post interuallum aliquod, aliis duobus, ubi erat Didymus (...); et ut ad eremi magistros ueniam, quibus et adtentius et frequentius uacabamus, ubi Macharius, Antonii discipulus, et alter Macharius et Idisorus et Pampus, omnes amici Dei (...)
- G8** **Pseudo-Ambrosius, *Epistulae II de monacho energumeno*** **um 400 ?**  
 G8-1<sup>1140</sup> Si enim ita est, ut asserunt, ergo quotquot ex Romanis conversi, apud Romanos degunt: quotquot ex Graecis, apud Graecos: quotquot ex Italis, apud Italos: quotquot ex Hiberis, apud Hiberos: quotquot ex Germanicis, apud Germanicos: quotquot ex Aquitanicis, apud Aquitanicos: quotquot ex Anglis, apud Anglos religiose vivunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus et Antonius ex Thebaeis, apud Thebaeos perfecti sunt. Ecce Hilarion ex Palaestinis, apud Palaestinos perfectus est. Ecce Macharius ex Aegyptiis, apud Aegyptios perfectus est. Ecce Oxyrynchus civitas ex propriis civibus tota perfecta est. Ecce, ut ad proximos et vicinos nostros veniamus, Prothasius et Gervasius in propria hac Mediolanensi civitate, propriaque domo manentes, ac per decem annos monachorum vitam exercentes, ita perfecti fuerunt, ut martyres fierent.
- G9** **Paulinus von Nola, *Carmen*** **400-430**  
 G9-1<sup>1141</sup> Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes plurima quaesiui; per singula quaeque cucurri, sed nihil inueni melius quam credere Christo.
- G10** **Sulpicius Severus, *Dialogi*** **um 406**  
 G10-1<sup>1142</sup> Duo beati Antonii monasteria adii, quae hodieque ab eius discipulis incoluntur ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est diuersatus, accessi.
- G11** **Hieronymus, *Epistula ad Principiam virginem, sive Marcellae viduae epitaphium*** **412**  
 G11-1<sup>1143</sup> Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romae propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et uile in populis nomen adsumere. haec ab Alexandrinis sacerdotibus, papaque Athanasio et postea Petro, qui persecutionem Arrianae Haereseos declinantes quasi ad tutissimum communionis suae portum Romam confugerant, uitam beati Antonii adhuc tunc uiuentis, monasteriaque in

<sup>1139</sup> Rufinus, *Apologia (contra Hieronymum)* II 15

<sup>1140</sup> Pseudo-Ambrosius, *Epistulae II de monacho energumeno* I

<sup>1141</sup> Paulinus von Nola, *Carmen* 32

<sup>1142</sup> Sulpicius Severus, *Dialogi* I 17

<sup>1143</sup> Hieronymus, *Ep.* 127

Thebaide, Pachumii, et uirginum ac uiduarum didicit disciplinam nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoerat. hanc multos post annos imitata est Sophronia et aliae, quibus rectissime illud Ennianum aptari potest: Utinam ne in nemore Pelio. huius amicitiiis fruita est Paula venerabilis (...)

- G12** **Cassianus, *De coenobiorum institutus*** **419-426**  
 G12-1<sup>1144</sup> Vetus namque est beati Antonii admirabilisque sententia, monachum qui post coenobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis adtingere, et adprehenso discretionis examine proprio iam potens est stare iudicio atque ad arcem anachoreseos peruenire, minime debere ab uno quamuis summo uniuersa genera uirtutum expetere. Alius enim scientiae floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiae grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiae uirtute praefertur, alius simplicitatis gratia decoratur, hic magnanimitatis, ille misericordiae, iste uigiliarum, hic taciturnitatis, iste laboris studio superuenit ceteros. Et idcirco monachum spiritalia mella condere cupientem uelut apem prudentissimam debere unamquamque uirtutem ab his qui eam familiarius possident deflorare et in sui pectoris uase diligenter recondere nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantum quid uirtutis possideat, contemplari studioseque decerpere – cunctas namque si ab uno uolumus mutuari, aut difficile aut certe numquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri quia, licet necdum Christum omnia factum secundum Apostolum uideamus in omnibus, tamen hoc modo possumus eum, id est per partes in omnibus inuenire. De ipso enim dicitur: Qui factus est nobis ex Deo sapientia, iustitia, sanctitas et redemptio. Dum ergo in alio sapientia, in alio iustitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas repperitur, membratim Christus per unumquemque nunc sanctorum diuisus est. Concurrentibus uero uniuersis in unitatem fidei ac uirtutis redditur in uirum perfectum, plenitudinem sui corporis in singulorum membrorum conpage ac proprietate perficiens. Donec ergo ueniat illud tempus quo sit Deus omnia in omnibus, in praesenti potest hoc quo diximus modo, id est per partes uirtutum esse in omnibus Deus, licet nondum plenitudine earum omnia sit in omnibus, quia licet unus religionis nostrae sit finis, professiones tamen diuersae quibus ad Deum tenditur, sicut in Conlationibus seniorum plenius disputandum est. Ideoque discretionis et continentiae forma ab his est nobis peculiarius expetenda, a quibus uirtutes has per gratiam Spiritus sancti uberius uidemus effluere; non quod ullus quae in multos diuisa sunt solus possit acquirere, sed ut in his bonis, quorum capaces esse possumus, ad eorum nos imitationem qui ea specialius obtinere tendamus.
- G13** **Cassianus, *Conlationes Patrum / Collationes patrum Sceticorum*** **426-430**  
 G13-1<sup>1145</sup> (...) Memini igitur quondam in annis adhuc pueritiae constitutus in partibus Thebaidos, ubi beatus Antonius morabatur, seniores ad eum perfectionis inquirendae gratia conuenisse.  
 G13-2<sup>1146</sup> Cumque in hunc modum diuersis uirtutibus aditum certiore ad deum parari posse decernerent essetque noctis maximum tempus hac inquisitione

<sup>1144</sup> Cassianus, *De coenobiorum institutus* V 4

<sup>1145</sup> Cassianus, *Conlationes* II 2

<sup>1146</sup> Ibidem II 2

consumptum, intulit demum beatus Antonius. omnia quidem haec quae dixistis necessaria sunt et utilia sitientibus deum atque ad eum cupientibus peruenire. sed his principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorum casus et experimenta permittunt

- G13-3<sup>1147</sup> (...) Et ita tam beati Antonii quam uniuersorum sententia definitum est discretionem esse, quae fixo gradu intrepidum monachum perducatur ad deum, praedictasque uirtutes iugiter conseruet inlaesas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi et sine qua multi etiam propensius laborantes perfectionis nequiuerint culmen adtingere. omnium namque uirtutum generatrix, custos moderatrixque discretio est.
- G13-4<sup>1148</sup> Et ut hanc eandem definitionem antiquitus a sancto Antonio et ceteris patribus promulgatam recens quoque sicut promissimus, confirmet exemplum, recolite id quod nuper gestum oculorum uestrorum uidistis obtutibus (...)
- G13-5<sup>1149</sup> Quid dicam de illis duobus fratribus, qui cum ultra illam heremum Thebaidos, ubi quondam fuerat beatus Antonius, habitarent, minus cauta discretionem permoti, euntes per extantam solitudinis uastitatem (...)
- G13-6<sup>1150</sup> (...) quo etiam modo beatum Antonium accitum esse cognouimus, qui occasionem suae conuersionis a sola diuinitate percepit. ingressus namque ecclesiam ibique audiens in euangelio dominum praedicantem: qui non odit patrem et matrem et filios et uxorem et agros, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus, et: si uis perfectus esse, uade, uende omnia quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et ueni, sequere me (...)
- G13-7<sup>1151</sup> De differentiis sane daemonum etiam per illos duos philosophos, qui quondam magicis artibus uel inertiam eorum uel fortitudinem saeuamque nequitiam fuerant frequenter experti, multum cognitionis accepimus. hi namque despicientes beatum Antonium uelut imperitum ac sine litteris uirum volentesque eum, si nihil amplius laedere potuissent, saltem de cella sua magicis praestigiis et circumuentione daemonum proturbare, spiritus ei nequissimos inniserunt, ad inpugnationem hanc morsu liuoris adducti, eo quod maximae hominum turbae ad eum uelut famulum dei cotidie conuenirent (...)
- G13-8<sup>1152</sup> Cumque pro hac admiratione confestim uenientes ad abbatem Antonium inpugnationum suarum magnitudinem et causas atque insidias patefecissent liuoris occulti, Christianos se fieri protinus poposcerunt. requisito autem ab illis proditae inpugnationis die adseruit se amarissimis cogitationum stimulis tunc fuisse pulsatum. quo experimento sententiam nostram quam hesterno die in conlatione protulimus probauit ac definiuit beatus Antonius, nullatenus daemones posse mentem cuiusquam uel corpus inuadere nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus inruendi, nisi eam primo destituerint omnibus cogitationibus sanctis, ac spiritali contemplatione uacuum nudamque reddiderint.

---

<sup>1147</sup> Ibidem II 4

<sup>1148</sup> Ibidem II 5

<sup>1149</sup> Ibidem III 6

<sup>1150</sup> Ibidem III 4

<sup>1151</sup> Ibidem VIII 18

<sup>1152</sup> Ibidem VIII 19

- G13-9<sup>1153</sup> Et ut orationis uerae percipiatis adfectum, non meam uobis, sed beati Antoni sententiam proferam. quem ita nonnumquam in oratione nouimus perstitisse, ut eodem in excessu mentis frequenter orante cum solis ortus coepisset infundi, audierimus eum in feruore spiritus proclamantem: quid me impedis, sol, qui ad hoc iam oreris, ut me ab huius ueri luminis abstrahas claritate? cuius etiam haec quoque est super orationis fine caelestis et plus quam humana sententia: non est, inquit, perfecta oratio in qua se monachus, uel hoc ipsum quod orat, intellegit. et ut nos quoque secundum mensuram tenuitatis nostrae huic admirandae sententiae superadicere aliquid audeamus, orationis quae exauditur a domino, in quantum experti sumus, indicia proferemus.
- G13-10<sup>1154</sup> (...) Haec igitur [practice], quae duobus ut dictum est subsistit modis, erga multas professiones studiaque diuiditur. quidam enim summam intentionis suae erga heremi secreta et cordis constituunt puritatem, ut in praeteritis Heliam et Heliseum nostrisque temporibus beatum Antonium, aliosque eiusdem propositi sectatores (...)
- G13-11<sup>1155</sup> (...) istud ergo solummodo fuit antiquissimum monachorum genus, quod non solum tempore, sed etiam gratia primum est quodque per annos plurimos inuiolabile usque ad abbatis Pauli uel Antoni durauit aetatem: cuius etiam nunc adhuc in districtis coenobiis cernimus residere uestigia.
- G13-12<sup>1156</sup> (...) cuius professionis principes hos quos paulo ante commemorauimus, sanctum scilicet Paulum uel Antonium, nouimus exstitisse (...)
- G13-13<sup>1157</sup> Abraham: Non meam contra hoc uobis, sed beati Antonii sententiam proferam, qua ita ille cuiusdam fratris, hoc quo dicitis tepore torpentis segnitiā confutauit, ut etiam nodum uestrae propositionis absunderet. nam cum ad praedictum senem quidam ut dixi ueniens anachoreticam disciplinam minime diceret admirandam, maioris pronuntians esse uirtutis, si ea quae perfectionis sunt inter homines quispiam quam in heremo positus exerceret, beatus Antonius ubinam ipse consisteret percontatur. cumque ille se iuxta parentes suos habitare dixisset, et eorum praebitione ab omni cura et sollicitudine diurni operis absolutum lectioni tantum et orationi absque ulla distentione spiritus indesinenter gloriaretur insistere, rursum beatus Antonius: dic, inquit, sodalis, utrum in eorum damnis uel aduersis casibus contristeris parique etiam modo super eorum prosperitate congaudeas. ille utriusque rei participem se esse confessus est. cui senex: noueris te, inquit, etiam in futuro saeculo eorum sorte censendum, cum quibus in hac uita in lucri detrimentiue consortio uel gaudio uel maerore concuteris. nec hac contentus sententia beatus Antonius maiorem insuper campum disputationis ingressus est, haec, inquiens, conuersatio atque hic tepidissimus status non hoc solo, quo dixi te feriunt detrimento (licet id nunc ipse non sentias dicens quodammodo secundum illam Prouerbiorum parabolam: ferierunt me, sed non dolui: et deluserunt me, ego autem nesciui; uel illud quod dicitur in propheta: comederunt alieni robur eius, et ipse nesciuit), quod scilicet diebus singulis mentem tuam pro casuum uarietate mutantes indesinenter ad terrena demergant, uerum etiam quod fructum manuum

---

<sup>1153</sup> Ibidem IX 31

<sup>1154</sup> Ibidem XIV 4

<sup>1155</sup> Ibidem XIV 5

<sup>1156</sup> Ibidem XVIII 6

<sup>1157</sup> Ibidem XXIV 11

tuarum et iusta laboris proprii mercede defraudent, non permittentes te horum praebitione suffultum secundum beati apostoli regulam cotidianum tibi uictum tuis manibus praeparare, quem ille ultima Ephesiorum ecclesiae principibus praecepta promulgans se etiam sanctis Euangelicae praedicationis studiis occupatum non solum sibi, uerum etiam his qui erant erga ministerium suum necessariis obsequiis praepediti praebuisse se memorat dicens: ipsi scitis quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt ministrauerunt manus istae. Quod tamen ut se fecisse pro forma nostrae utilitatis ostenderet, alibi ait: non otiosi fuimus inter uos, neque gratis panem ab aliquo manducauimus, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem uestrum grauaremus. non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmet ipsos formam daremus uobis ad imitandum nos.

G13-14<sup>1158</sup> (...) secundum apostolum, qui otiosis penitus interdicens opem largitatis alienae qui non, inquit, operatur nec manducet. his beatus Antonius aduersus quendam usus uerbis etiam nos magisterii sui informauit exemplis, ut parentum perniciosissima blandimenta et omnium qui uictui necessaria subministrant agapem, insuper etiam amoenae habitationis gratiam deitemus (...)

**G14** *Augustinus, De doctrina christiana* 426

G14-1<sup>1159</sup> Iam uero eorum qui diuino munere exultant et sine talibus praeceptis, qualia nunc tradere institui, se sanctos Libros intellegere atque tractare gloriantur et propterea me superflua uoluisse scribere existimant, sic est lenienda commotio, ut quamuis magno dei dono iure laetentur, recordentur se tamen per homines didicisse uel litteras nec propterea sibi ab Antonio sancto et perfecto uiro Aegyptio monacho insultari debere, qui sine ulla scientia litterarum scripturas diuinas et memoriter audiendo tenuisse et prudenter cogitando intellexisse praedicatur (...)

**G15** *Regula Magistri* 500-525

G15-1<sup>1160</sup> Si debeant fratres spiritales ad se invicem occurrentes prius orare aut sibi pacem dare aut salutare.  
Cum uero introierint fratres in monasteriis aut in uia fratribus spiritualibus occurrerint postquam se per benedictionem salutauerint prius orent et sic sibi pacem dent sicuti Pauli et Antonii heremitarum occursum legimus: qui cum se mox uidissent et sibi inuicem occurrissent postquam se propriis salutauere nominibus mox oratione facta complentes postmodum se mutuis miscuerunt amplexibus caritatis sibi pacem reddentes.

**G16** *Fulgentius von Ruspe, Ad Iohannem et Venerium de veritate praedestinationis et gratiae* 523-527

G16-1<sup>1161</sup> Ergone quisquam Christianus potest ita uas misericordiae dicere imperatorem Constantinum, ut uasa contumeliae Antonium appellet et Paulum?

<sup>1158</sup> Ibidem XXIV 12

<sup>1159</sup> Augustinus, *De doctrina Christiana* Prooem. 4

<sup>1160</sup> *Regula Magistri* LXXI

<sup>1161</sup> Fulgentius von Ruspe, *Ad Iohannem et Venerium de veritate praedestinationis et gratiae* II 42

- G16-2<sup>1162</sup> Sed quis usque adeo sit diuinae fidei et caritatis inimicus, ut Paulum, Antonium, Iohannem, Hilarionem, Macarium, aliosque similis uitae ac sanctitatis monachos, in quibus et rectae fidei ueritas et sanctae conuersationis refulsit integritas, uasa contumeliae non metuat appellare?
- G17** **Cassiodorus, *Institutiones diuinarum et humanarum lectionum* 551-562**  
 G17-1<sup>1163</sup> (...) Quem Didymum, quamvis carne caecum, merito beatus Antonius Pater monachorum prophetali lumine uocavit Videntem, quando perspicuo corde conspexit, quod corporeis oculis non ualet intueri.
- G18** **Isidorus von Sevilla, *De ecclesiasticis officiis* 598-615**  
 G18-1<sup>1164</sup> Post pascha autem usque ad pentecosten, licet traditio ecclesiarum abstinentiae rigorem prandiis relaxauerit, tamen si quis monachorum uel clericorum ieiunare cupiunt non sunt prohibendi, quia et Antonius et Paulus et ceteri patres antiqui etiam his diebus in heremo leguntur abstinuisse neque soluisse abstinentium nisi tantum die dominico.
- G18-2<sup>1165</sup> Vnde autem ad monachos studium defluxit paupertatis? Vel quis huius conuersationis exstitit auctor, cuius isti habitum imitantur? Quantum enim, inquam, adtinet ad auctoritatem ueterum scripturarum, huius propositi princeps Helias et discipulus eius Heliseus fuerunt, siue filii prophetarum qui habitabant in solitudinem, urbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluuenta Iordanis. Huius etiam propositi in Euangelio paptista Iohannes auctor exstitit qui heremum solus incoluit, locustis tantum et agresti melle nutritus; iam deinde progenitos conuersationis huius nobilissimos principes, Paulos, Antonios, Hilarionas, Macharios ceterosque patres; quorum exemplis per universum mundum adoleuit sancta institutio monachorum.
- G19** **Isidorus von Sevilla, *Etymologiae (Originum libri XX)* um 630**  
 G19-1<sup>1166</sup> Decius, ann. I. Antonius monachus claruit  
 G19-2<sup>1167</sup> (...) Satyri homunciones sunt aduncis naribus; cornua in frontibus, et caprarum pedibus similes, qualem in solitudine Antonius sanctus uidit. Qui etiam interrogatus Dei seruo respondisse fertur dicens: 'Mortalis ego sum unus ex accolis heremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosque colit'.
- G20** **Eugen II (III) von Toledo, *Epitaphium (Carmina)* vor 657**  
 G20-1<sup>1168</sup> Admoneat monachos dulcis vox regia cunctos, ut rebus careant, regna superna petant. non hos vanarum turbet possessio rerum, est quibus in celso vita parata throno. exemplo Eliae populi consortia uident, et Pauli, Antonii atque Ioannis ament. propria dimittant, habeant ut propria cuncta, uir nihil extraneum pacis amator habet. tu decus egregium, uirtus et gloria regni, semper ama dominum, te quia semper amat.

---

<sup>1162</sup> Ibidem II 43

<sup>1163</sup> Cassiodorus, *Institutiones diuinarum et humanarum lectionum* I,5,2

<sup>1164</sup> Isidorus von Sevilla, *De ecclesiasticis officiis* I 43

<sup>1165</sup> Ibidem II 16

<sup>1166</sup> Isidorus von Sevilla, *Etymologiae* V,39,33

<sup>1167</sup> Ibidem XI,3,21

<sup>1168</sup> Eugen II von Toledo, *Epitaphium* Carmen XXIV 5

- G21 Pseudo-Adalgerus, Pseudo-Isidorus, Pseudo-Hieronymus, Pseudo-Ambrosius, Commonitiuncula ad sororem (De studio virtutum) 7. Jh.**
- G21-1<sup>1169</sup> Certissime uero tibi conuenit credere, quod karitas numquam sine humilitate et oboedientia in homine regnat. Si ueram habueris karitatem mox eris humilis atque oboediens. Humilitas namque eximia uirtus est: haec de terrenis hominibus facit caelestes, per hanc diabolus superatur, per hanc eius laquei uitantur. Sic beatus Antonius dicit abbati Pastori: "Vidi omnes laqueos inimici tensos in uia, et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos laqueos? Et audiui uocem dicentem: Humilitas. Hoc uero beatus Antonius ut puto non pro se tantum uidit et audiuit, sed et pro nobis qui peccatores et insipientes sumus et longe ab illius meritis distamus: ut nos haec legentes et opere complentes diaboli laqueos possimus uitare, qui semper hoc inquirat, quomodo nos decipiat.
- G21-2<sup>1170</sup> (...) Dixit abbas Antonius quia sunt quidam conferentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem longe facti sunt a deo. Superuenit autem quidam uenationem faciens in silua agrestium animalium et uidit abbatem Antonium gaudentem cum fratribus et displicuit ei. Uolens autem senex ostendere ei quia oportet aliquando condescendere fratribus, dicit ei: Pone sagittam in arcu tuo et trahe. Et fecit sic, et dixit ei: Iterum trahe, et traxit. Et rursus dixit ei: trahe adhuc. Et dicit ei uenator: Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei abbas Antonius: Ita est in opere dei: si plus a mensura tendimus, fratres cito deficiunt. Expediit ergo uel ad momento horae relaxare uigorem eorum. Haec audiens uenator conpunctus est et multum proficiens in sermone senis discessit, et fratres confirmati reuersi sunt ad loca sua.
- G21-3<sup>1171</sup> (...) Stephanus autem circa Mareoten habitauit, perfecte degens et integra continentia. Qui circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit et Antonio magno notissimus.
- G22 Aldhelmus von Malmesbury, De laudibus uirginitatis (prosa) um 700**
- G22-1<sup>1172</sup> Antonius, caelestis aratri stibarius et euangelici sermonis sator, a quo primitus per Aegiptum fertilis coenubiorum seges et fecunda conuersationis occa granigeris germinauit spicis, unde postmodum Memphitica tellus, quam Nilus reciprocis fecundat fluentis, millenos animarum manipulos in fructiferis ecclesiae noualibus pululantes protulit, quos angelici messorum, cum figura mundi in ictu et atomo euauerit et inormia creaturarum elementa in melius commutata claruerint, sequestratis loliorum fasciculis in inexhausto caelestis regni horreo cateruatim aduectabunt, nonne propter egregiam animae pudicitiam ineffabili uirtutum gratia praeditus usque supremos terrarum cardines rumore clarus precrebuit? Quod plenius de suorum uirtute miraculorum Athanasius, Alexandrinus antistes, simplo uolumine patefecit Evagrio in Latinum transferente.
- G22-2<sup>1173</sup> Hilarion opinatissimus Palestinae solitudinis accola, ethnicis parentibus

<sup>1169</sup> Pseudo-Adalgerus, Pseudo-Isidorus, Pseudo-Hieronymus, Pseudo-Ambrosius, *Commonitiuncula ad sororem (De studio virtutum)* II

<sup>1170</sup> Ibidem VIII

<sup>1171</sup> Ibidem XIV

<sup>1172</sup> Aldhelmus von Malmesbury, *De laudibus uirginitatis* XXVIII

<sup>1173</sup> Ibidem XXIX

idolorum culturae deditis oriundus, rosa, ut dicitur, rubicunda de spinetis uulgo nascentibus florens, ea tempestate qua praedictus Antonius per Aegyptum celebri fama uulgabatur claruit, cuius vitam Hieronimus caelestis bibliothecae egregius cultor uniuersorumque interpretum praestantissimus, tantis opinionum rumusculis extollit, ut Homerum quoque, si ab inferis emergeret, uel inuidere materiae dicat uel succumbere.

G22-3<sup>1174</sup> Amos, primus Nitriae famosus accola (...). Huius itaque Amos spiritum Antonius heremita, cum carnalis ergastuli uinculis enodaretur, a caelestis militiae manipulo astriferis inferri caelorum orbibus conspexit.

**G23 Aldhelmus von Malmesbury, *De uirginitate* um 700**

G23-1<sup>1175</sup> E quorum numero pollebat sorte beata  
Nomine famoso felix Antonius auctor  
Summa supernorum conquiens regna polorum.

G23-2<sup>1176</sup> Hunc uidit ferri felix Antonius olim  
Linqueret egregius cum carnis vincula miles  
Angelicis turmis ad caeli sidera vectum  
Pulchraque perpetua penetrantem limina vitae.

**G24 Ambrosius Autpertus, *De conflictu uitiorum et uirtutum* um 740**

G24-1<sup>1177</sup> (...) Si enim ita est ut asserunt; ergo quotquot ex Romanis conuersi, apud Romanos degunt, quotquot ex Graecis, apud Graecos, quotquot ex Italis, apud Italos, quotquot ex Hiberis, apud Hiberos, quotquot ex Germanicis, apud Germanicos, quotquot ex Aquitanicis, apud Aquitanicos, quotquot ex Britannis, apud Britannos, quotquot ex Anglis, apud Anglos religiose uiuunt imperfecti erunt. Ecce Paulus et Antonius ex Thebeis, apud Thebeos perfecti sunt, ecce Hilarion ex Palaestinis, apud Palaestinos perfectus est, ecce Macharius ex Aegyptiis, apud Aegyptios perfectus est, ecce Oxirincus ciuitas ex propriis ciuibus tota perfecta est (...)

**G25 Bonifatius, *Epistulae* 742-746**

G25-1<sup>1178</sup> Habes, pater mi, sicut Antonius de Didimo fertur dixisse, oculos, quibus potest Deus uideri et angeli eius et supernae Hierusalem gloriosa gaudia speculari.

**G26 Théodulf von Orleans (?), *Opus Caroli Regis contra synodum (Libri Carolini)* 790**

G26-1<sup>1179</sup> Quomodo intellegendum sit quod scriptum est: Domine, dilexi decorem domus tue; quem decorem isti imagines intellegunt. (...) Numquidnam sancti patres, ut ceteros taceam, Paulus, Antonius [...] Ilarion, uel omnis anachoritarum sive heremitarum caterva, qui decorem basilicarum sive imaginum depictarum non

<sup>1174</sup> Ibidem XXXVII

<sup>1175</sup> Aldhelmus von Malmesbury, *De uirginitate*, Verzen 753-755

<sup>1176</sup> Ibidem Verzen 1500-1503

<sup>1177</sup> Ambrosius Autpertus, *De conflictu uitiorum et uirtutum* XXVIII

<sup>1178</sup> Bonifatius, *Ep.* 63

<sup>1179</sup> Théodulf von Orleans (?), *Opus Caroli Regis contra synodum (Libri Carolini)* 29; Wahrscheinlich war nach 'Antonius' ursprünglich der Name des Mönches Malchus eingetragen (Freeman 1998, 230).



habuerunt, sed in quibusdam tuguriolis suas Deo animas dedicarunt, idcirco sancti non sunt?

- G27**      **Angilbert von St. Riquier, *De ecclesia Centulensi libellus***      **um 790**  
 G27-1<sup>1180</sup>    In aeclesia vero sancti Benedicti altare ipsius, in quo sunt reliquiae eius, et Antonii et Columbani
- G28**      **Pseudo-Augustinus, *Ad fratres in eremo commorantes***      **8. Jh.**  
 G28-1<sup>1181</sup>    (...) Haec est, qua Paulus eremitarum forma beatificatur. Haec Antonii aliorumque sanctorum patrum lorica est et zona, qua praecincti et armati in excelsis indefessa voce quotidie clamare non cessant.  
 G28-2<sup>1182</sup>    (...) Hanc fugere cupiens sanctus monachorum pater Antonius, clamavit ad Dominum in eremo, et dixit: O Samaritane Domine Deus meus, o animarum et corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde servo tuo misericordiam, ut in eremo collocatus, in tuo conspectu otiosus non maneam. Et audivit Antonius: Antoni, cupis Deo placere? Ora: et dum orare non poteris, manibus labora, et semper aliquid facito. Fac quod in te est, age quod potes: et non deficiet tibi auxilium de sancto. Quid ergo diffidis, o frater? Numquid idem Deus est? Numquid et pro te idem crucifixus est? Age igitur quod bonum est.  
 G28-3<sup>1183</sup>    (...) An ignoratis quid dictum fuerit sancto viro Antonio, Si cupis salvari, fuge homines, fuge mundum et pompas ejus? Cur ergo turbamini, si inter homines conversari non potestis? Ecce enim sanctus Job iustus, sapiens, dives, rectus et timens Deum, et tamen leprosus efficitur; tamen non conqueritur, extra castra projicitur, ab hominibus despicitur et deseritur. Ab uxore blasphematur; tamen non conqueritur, nec labiis suis contra Deum mortaliter locutus est, considerans aliam vitam cito esse venturam. Non ergo turbemini, sed considerate quia propter peccata vestra percussit vos Deus, vel ut examinet vos.  
 G28-4<sup>1184</sup>    (...) et pretium ante pedes Apostolorum posuerunt. Sic et Eliae facere placuit, et Joanni Zachariae filio, quando eremum intraverunt. Sic et Paulus cum Antonio, quando annis multis eremum coluerunt.  
 G28-5<sup>1185</sup>    Pax vobis, fratres, et charitas cum fide vobis non deficiat. Pax vobis, fratres, quoniam electi estis ante mundi constitutionem in hac vasta solitudine, ut sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio et Joanne, sancti et immaculati in conspectu Dei.  
 G28-6<sup>1186</sup>    Haec est ergo religio apostolica, et a mundo corde et corpore segregata, quae percutit duces Moab, interficit satrapas et tyrannos Ierusalem, et Aegyptiorum hypocritas vulneravit ad mortem. Haec est vinea servi Dei Noe, in medio paradisi situata, Christi sanguine redempta et irrigata, quam Sarabaitarum principes, haereticorum pastores velut aper de silva tempore illorum magnorum monachorum et eremitarum, Pauli videlicet et Antonii, destruere quaesierunt:

---

<sup>1180</sup>    Angilbert von St. Riquier, *De ecclesia Centulensi libellus* I

<sup>1181</sup>    Pseudo-Augustinus, *Ad fratres in eremo commorantes* I

<sup>1182</sup>    Ibidem XVII

<sup>1183</sup>    Ibidem XXXII

<sup>1184</sup>    Ibidem XXXIV

<sup>1185</sup>    Ibidem XXXIX

<sup>1186</sup>    Ibidem XXXIX

cuius sepem comburere, cuius gyrum lapideum supplantare, cuius fructus, vites et flores incidere, cuius planitiem virtutum zizania seminare et replere quaesierunt, sed Dei virtute circumdata minime potuerunt.

G28-7<sup>1187</sup> (...) Excelsus eram et impius super omnes coetaneos meos, elatus et superexaltatus super cedros Libani. Et ecce accessit ad me mater pietate plena, praedicatio sancti viri episcopi, vita et exempla sanctorum patrum Pauli et Antonii et Simpliciani (...)

G28-8<sup>1188</sup> Vos autem, fratres, dum haec in corda vestra ascendunt, recurrite ad orationem vel ad operis occupationes, ne vos serpentinae muscae deglutiant. Numquid non sic fecit sanctus pater Antonius? qui cum epistolas a charis suis in saeculo morantibus recepisset, nullam legere voluit, sed receptas in ignem proiecit, dicens: Chartae fallaces estis, etiam plenae mendaciis; comburo vos, ne comburam a vobis.

**G29** **Pseudo-Beda, *Libellus de Officiis*** **8. Jh.**

G29-1<sup>1189</sup> Post pascha autem usque ad pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinenciae rigorem prandiis relaxaverit, tamen si quis monachorum vel clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia et Antonius et Paulus et caeteri patres antiqui, etiam in his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque absolvisse abstinentiam, nisi tantum die Dominico.

**G30** ***Formulae collectionis sancti Dionysii*** **um 800**

G30-1<sup>1190</sup> (...) Et, ut superius dictum est et sepe dicendum, nullam potestatem habere convenit episcopo in eodem monasterio sub retrusione sanctae viventibus et theoreticam vitam coenobialis regulae militantibus a beatissimis patronibus nostris, quibus non fuit dignus mundus, edicta continent, id est: Antoni, Pachonii, haut procul a nostris temporibus Benedicti abbatis istius Rome huius urbis.

**G31** **Smaragdus von St. Mihiel, *Expositio in regulam sancti Benedicti*** **816-817**

G31-1<sup>1191</sup> (...) Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum usque abbatis Pauli vel Antonii duravit aetatem. Cuius etiam nunc adhuc in districtis coenobiis cernimus residere vestigia

G31-2<sup>1192</sup> Cuius professionis principes hos quos paulo ante memoravimus, sanctum videlicet Paulum et Antonium nominis extitisse. Qui non ut quidam pusillanimitatis causa nec impatientiae morbo, sed desiderio sublimioris profectus contemplationisque divinae solitudinis secreta sectati sunt.

G31-3<sup>1193</sup> Legimus in beati Antonii Vita quod multos litigantes redegit in amicitiam omnibus dicens: Nihil debere ipsos praeponere horum quae sunt in mundo dilectioni Christi.

---

<sup>1187</sup> Ibidem XL

<sup>1188</sup> Ibidem XL

<sup>1189</sup> Pseudo-Beda, *Libellus de Officiis* III (PL 94, 540)

<sup>1190</sup> *Formulae collectionis sancti Dionysii* III

<sup>1191</sup> Smaragdus von St. Mihiel, *Expositio in regulam sancti Benedicti* I

<sup>1192</sup> Ibidem I

<sup>1193</sup> Ibidem IV

- G32 Smaragdus von St. Mihiel, *Diadema monachorum* 816/817**
- G32-1<sup>1194</sup> (...) Dixit abbas Antonius: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra, et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? Et audiui vocem dicentem: Humilitas.
- G32-2<sup>1195</sup> (...) Dixit abbas Antonius: Qui sedet in solitudine et quiescit, a tribus bellis eripitur, id est, auditus, locutionis et visus.
- G32-3<sup>1196</sup> (...) Dicebat abbas Antonius: Scire convenit quod sunt tres corporales motus: unus quidem naturalis, alter autem ex plenitudine ciborum, tertius vero ex daemoniorum impugnatione. Sed contra hos omnes bonum est custodire quod scriptum est: Omni custodia serva cor tuum.
- G32-4<sup>1197</sup> (...) Venerunt ergo aliquando senes ad abbatem Antonium, et erat cum eis etiam abbas Joseph. Volens autem abbas Antonius probare eos, movit sermonem de Scripturis sanctis, et coepit interrogare a junioribus quid esset hoc aut illud verbum? Et singuli eorum dicebant, prout poterant. Ille autem dicebat: Necdum invenistis. Post omnes vero dixit abbati Joseph: Tu quomodo dicis verbum hoc? Et ille respondit: Nescio. Et dixit abbas Antonius: Vere abbas Ioseph solus invenit viam, qui nescire se respondit.
- G32-5<sup>1198</sup> (...) Dixit abbas Antonius: Sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habent discretionem, longe facti sunt a Deo.
- G32-6<sup>1199</sup> (...) Venit aliquando abbas Hilarion, de Palaestina ad abbatem Antonium in montem, et dixit ei abbas Antonius: Bene venisti, lucifer, qui mane oriris. Et dixit ei abbas Hilarion: Pax tibi, columna lucis, quae sustines orbem terrarum.
- G32-7<sup>1200</sup> (...). Dixit abbas Antonius abbati Pastori: Hoc est magnum opus hominis, ut culpam suam super seipsum unusquisque ponat coram Domino, et exspectet tentationem usque ad ultimum vitae suae tempus.
- G32-8<sup>1201</sup> (...) Dixit abbas Antonius: Quia de proximo est mors et vita. Si enim lucremur fratrem, lucrabimur Deum; si autem scandalizemus fratrem, in Christum peccamus.
- G32-9<sup>1202</sup> (...) Dicebant et de abbate Sysoi quod in die dormitionis suae cum sederent circa eum fratres, splenduit tanquam sol facies ejus, et dixit ad eos: Ecce, abbas Antonius venit. Et post paululum rursus dicit eis: Ecce, chorus prophetarum venit. Et iterum amplius facies ejus resplenduit, et dixit: Ecce, chorus apostolorum venit; et dupliciter refulsit adhuc facies ejus, et ecce ipse cum aliquibus loquebatur. Deprecati sunt autem illum senes, dicentes: Cum quo loqueris, Pater? Qui dixit eis: Ecce angeli venerunt accipere me, et rogo ut dimittar poenitere modicum. Dicunt ei seniores: Non indiges poenitentia, Pater. Dixit autem illis: Vere nescio meipsum, vel initium sumpsisse poenitendi. Et cognoverunt omnes quia perfectus esset. Et rursus subito facta est facies ejus

---

<sup>1194</sup> Smaragdus von St. Mihiel, *Diadema Monachorum* XI

<sup>1195</sup> Ibidem XXI

<sup>1196</sup> Ibidem XXVIII

<sup>1197</sup> Ibidem XXXVII

<sup>1198</sup> Ibidem XLIII

<sup>1199</sup> Ibidem XLIV

<sup>1200</sup> Ibidem LXI

<sup>1201</sup> Ibidem LXVI

<sup>1202</sup> Ibidem LXXXVIII

sicut sol, et timuerunt omnes. Dixit autem eis: Videte, ecce Dominus venit dicens: Auferam vas nihil electionis eremi. Et continuo reddidit spiritum. Et facto fulgore repletus est totus locus ille odore suavitatis.

- G33**      **Benediktus von Aniane, *De concordia regularum***      **um 817**  
 G33-1<sup>1203</sup> (...) Jam deinde progrediens conversationis hujus nobilissimus princeps Paulus, inde Antonius, Hilarion, Macarius, caeterique Patres, quorum exemplis per universum mundum adolevit sancta institutio monachorum.
- G34**      **Hraban, *Carmina de diversis***      **819**  
 G34-1<sup>1204</sup> [Denotatio dedicationis ecclesiae sancti Salvatoris constructae in monasterio Fuldae (...) In crypta orientali versus Hrabani]  
 Hoc heremita sacer Antonius adstat ad alter  
 Hoc senior Paulus, martyr Anastasius.  
 Hic monachus Saba, simul et Theodosius abbas,  
 Adsistunt votis atque piis precibus  
 G34-2<sup>1205</sup> [In ecclesia sanctae Mariae, quae in loco qui vocatur Holzkiricha est constructa. Iuxta introitum eius hi descripti sunt versus]  
 Martinus praesul simul et Gregorius almus  
 Hanc aram meritis rite colunt propriis;  
 Cum quibus Equitius ovat atque Antonius abbas,  
 Sanctus Maximinus pastor et ipse pius.  
 G34-3<sup>1206</sup> Martinus praesul, Antonius et Benedictus  
 Hanc cryptam inhabitant et titulum retinent.  
 Hic papa Gregorius, hic Gallus Equitiusque  
 Cum Columbano vota pia accipiant.  
 G34-4<sup>1207</sup> [Versus more litaniae facti] (...)
   
 Hoc, Benedicte, tuis monachis impende precamur,  
 Cum Antonio et Paulo regna beata tenens. (...)
- G35**      **Hraban, *De institutione clericorum libri tres***      **819**  
 G35-1<sup>1208</sup> (...) Tamen si quis monachorum vel clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia et Antonius et Paulus et ceteri patres antiqui his diebus in eremo leguntur abstinuisse neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die Dominico.
- G36**      **Hraban, *Liber de oblatione puerorum***      **829**  
 G36-1<sup>1209</sup> Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam primum est, quodque per annos plurimos solum usque ad abbatis Pauli vel Antonii duravit aetatem: cujus etiam nunc adhuc in districtis coenobiis cernimus residere vestigia. De hoc priscorum numero, et, ut ita

<sup>1203</sup> Benediktus von Aniane, *De concordia regularum* III,6

<sup>1204</sup> Hraban, *Carmina* XLI

<sup>1205</sup> Ibidem XLIX,7

<sup>1206</sup> Ibidem L,6

<sup>1207</sup> Ibidem LIII

<sup>1208</sup> Hraban, *De institutione clericorum libri tres* XXI

<sup>1209</sup> Hraban, *Liber de oblatione puerorum* (PL 107, 436)

dixerim, fecundissima radice, sanctorum etiam anachoretarum post haec flores fructusque prolati sunt: cuius professionis principes hos, quos paulo ante memoravimus, sanctum scilicet Paulum vel Antonium, novimus exstitisse, qui non quidem pusillanimitatis causa nec impatientiae morbo, sed desiderio sublimioris profectus contemplationisque divinae, solitudinis secreta sectati sunt, licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, eremum penetrasse dicatur.

**G37 Hraban, *De universo (=De rerum naturis)* 844**

G37-1<sup>1210</sup> (...) Satyri homunciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus, et caprarum pedibus similes: qualem in solitudine Autumus (Antonius) sanctus vidit, qui etiam interrogatus a Dei servo, respondisse fertur, dicens: Mortalis ego sum, unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas faunos satyrosque colit.

**G39 Hildemar, *Expositio Regulae* vor 850**

G39-1<sup>1211</sup> Et quamquam tepuerat ecclesia, sicut diximus, tamen erant in illa ecclesia, in quibus erat fervor apostolicus, meminentes ordinis et vitae, qualiter apostoli vixerant. Qui videntes hunc teporem, exhibant a consortio illorum et ibant in suburbana et secretiora loca, et prout recordabantur, ea, quae apostoli docuerant, exercebant, et ita ortum est genus coenobitarum, et permansit hoc genus solum multis annis, et adeo permansit multis annis, ut solum usque ad tempus Pauli et Antonii duraret. Sed sicut solet ex radice bona fructus bonus procedere, ita ex hac sancta radice bonus fructus processit, i.e. aliud genus monachorum, i.e. eremitarum, quorum auctores fuerunt in veteri testamento Elias et Elisiaeus, in novo testamento Joannes Baptista, Paulus et Antonius.

**G40 Sedulius Scotus, *Collectaneum miscellaneum* vor 870**

G40-1<sup>1212</sup> Antonii monachi erat aescas solus panis et sal, potus autem aqua; prandii tempus solis occasus

G40-2<sup>1213</sup> Beatus Antonius dicebat pisces per humectam nutriri substantiam, monachis autem ornatum ferre solitariam uitam.

G40-3<sup>1214</sup> Quidam philosophorum accessit ad iustum Antonium, dicens: Quomodo sufficis, o pater, codicum consolatione priuatus? Ad quem Antonius: O, inquit, philosophe, meus codex natura creaturarum est, et adest cum uolueris, uerbaque mihi religit Dei.

---

<sup>1210</sup> Hraban, *De universo (=De rerum naturis)* VII,7

<sup>1211</sup> Hildemar, *Expositio Regulae* I

<sup>1212</sup> Sedulius Scotus, *Collectaneum miscellaneum* XXVI

<sup>1213</sup> Ibidem XXVI

<sup>1214</sup> Ibidem XXVI

- G41**      **Hartmann von St. Gallen, *Versus***      **vor 884**  
 G41-1<sup>1215</sup> [Eiusdem Hartmanni Litaniae, ad processionem, diebus Dominicis] (...) Paulus et Antonius, Macharius, Arseniusque, / Pachumius, Beda, Attala, Pafnutius. / Bertolfus, Libertinus, Basilius, atque / Hieronymus doctor, nos miserate precor.
- G42**      ***Collectio Sangallensis Salomonis III tempore conscripta***      **um 884**  
 G42-1<sup>1216</sup> Quod quem intellectum iuxta hystoriam habeat, non est litteris commendandum, ne contra consuetudinem nostratium aliquid sentire vieamur. Sed forte de sacerdotibus in Ezechihale ita potest intelligi iussum, ut supra oculos se tantum tonderent, sicut adhuc Greci faciunt sacerdotes, cum monachi vel iuxta Anastasium totum caput usque ad barbas radant bis vel semel in anno, vel iuxta primos eiusdem professionis viros, Heliam scilicet prophetam, Iohannem baptistam, Paulum solitarium, Antonium eundem anachoretam ecclesiarumque doctorem et ipsorum episcoporum magistrum, naturali tegmine delectati, pro gratiarum actione Creatori capillis et barba vestiri non graventur; quorum etiam Antonius hoc dicit, quia, quicquid naturae quasi meliorandae decorandaeque subtrahitur, hoc et ad turpitudinem ipsius et ad iniuriam Creatoris redundat.
- G43**      **Grimlaic, *Regula solitariorum***      **um 900**  
 G43-1<sup>1217</sup> (...) Quidam enim altius repetentes, a beato Elia et Joanne sumptum dicunt exordium; alii autem asseverant beatum Antonium hujus propositi esse caput. Macarius vero discipulus beati Antonii affirmat Paulum quemdam Thebaeum in Novo Testamento rei istius fuisse principem; quod et verum est. Sciendum vero quod a tempore beati Antonii coeperunt coenobitarum solitarii, hoc est, retrusi. Sed quis primus fuisset retrusus, difficile reperitur; non enim solummodo in coenobiis, sed etiam in ipsis eremis antea habitabant retrusi.
- G43-2<sup>1218</sup> (...) Qua de re etiam in Collationibus Patrum tale datur exemplum. Quidam frater renuntians saeculo, et dans quae habebat pauperibus, retinens autem pauca ad opus suum, venit ad abbatem Antonium. Quem cum agnovisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, et eme carnes, et impone corpori tuo nudo et sic veni huc. Et cum ille sic fecisset, aves lacerabant carnes et corpus ejus. Cum autem pervenisset ad senem, interrogavit si fecisset quae dixerat ei. Ille autem ostendit corpus suum laceratum. Tunc dixit sanctus Antonius: Qui renuntiant saeculo et volunt habere divitias, ecce ita impugnantur et a daemonibus discerpuntur. Hoc igitur de non habenda possessione dictum sufficiat. Aliud autem de non habenda haereditate dicamus.
- G43-3<sup>1219</sup> (...) Propterea quoque de divinis in noctibus officiis caeterisque horis diei ab oratione nos non oportet vacare, sed semper per intervalla horarum aut oremus, aut legamus, aut aliquod opus manuum exerceamus, quatenus taedium cordis et cogitationum evadere possimus, sicut legitur fecisse beatus Antonius. Qui quodam tempore cum sederet in eremo, animus ejus taedium et confusionem cogitationum incurrit, quia nondum adhuc instanter laborabat, et ait ad Deum:

---

<sup>1215</sup> Hartmann von St. Gallen, *Versus* IV

<sup>1216</sup> *Collectio Sangallensis* 28

<sup>1217</sup> Grimlaic, *Regula solitariorum* I

<sup>1218</sup> Ibidem VI

<sup>1219</sup> Ibidem XXXV

Domine, volo salvus fieri, et non permittunt me cogitationes meae. Quid faciam in hac tribulatione, et quomodo salvus ero? Et post pusillum surgens exiit foras, et vidit quemdam tanquam seipsum sedentem et operantem; denique vidit eundem ipsum ab opere surgentem et orantem, et iterum sedentem, et flectam de palmis facientem; inde rursus ad orationem surgentem. Erat autem angelus Domini missus ad correctionem et cautelam dandam Antonio. Post haec audivit vocem angeli dicentis: Sic fac, et salvus eris. Ille autem hoc audito, magnum gaudium sumpsit atque fiduciam. Et ita postea faciens, salutem quam quaerebat invenit. Ita et nos facientes, Deo opitulante, salvabimur. Numerum quoque et mensuram psalmorum quos quotidie canere debemus hic minime describimus, quia hoc quod Apostolus sine intermissione praecipit agere, ego nullatenus praesumo determinare. Testis sit unicuique conscientia sua, quia Deum, quem nulla fallunt occulta, inspectorem cordis sui omni hora habebit. Oportet praeterea nos orare indesinenter pro nostris benefactoribus, et pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam habere possimus. Sciendum vero est quia quanto quisque magis assiduus fuerit in oratione, tanto felicior remunerationem recepturus est in aeterna beatitudine. Luminaria vero cum omni diligentia sive de propriis laboribus seu de fidelium oblationibus in suis oratoriis noctis tempore provideant solitarii.

- G43-4<sup>1220</sup> (...) Praeterea quoque si quis voluerit omni tempore jejunare, exceptis Dominicis et aliarum festivitatum diebus, non prohibeatur ei; quia sic faciebant sancti Patres nostri Antonius, et Benedictus, nec non Macarius, et caeteri alii.
- G43-5<sup>1221</sup> (...) Unde sanctus Antonius dixit: Sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo.
- G43-6<sup>1222</sup> (...). Sed fortasse aliqui dicent: Sanctus Antonius nunquam se balneavit. Quibus breviter respondendum est: Si sanctus Antonius nunquam se balneavit, nec unquam missam cantavit; ideoque balneorum usus in sacerdotum relinquitur arbitrio, ut mundi et digni habeantur sacra mysteria celebrare.
- G43-7<sup>1223</sup> (...) Quanta autem sit virtus humilitatis iterum beatus Antonius ostendit, dicens: Vidi omnes laqueos Satanae tensos in terra, et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? et audivi vocem dicentem mihi: Humilitas. Quocirca inclinemus cervicem cordis in vera humilitate, ut omnes laqueos Satanae possimus illaesi transire. Tunc enim veram humilitatem habebimus, si quando peccaverit in nos frater noster, antequam ille poeniteat, indulserimus ei. Et tunc veram humilitatem habemus, quando nec laesi irascimur, nec alios irasci permittimus; sed potius pro ipsis ex corde oramus. Praeterea quoque si cui de humilitate altius libuerit perscrutari, ad Regulam sancti Benedicti recurat, ibique duodecim humilitatis gradus satis luculenter expositos inveniet.
- G43-8<sup>1224</sup> (...) Praeterea quoque supervenit quidam venationem faciens in silva agrestium animalium, et vidit abbatem Antonium gaudentem cum fratribus, et displicuit ei. Volens autem ei senex ostendere quia oportet aliquando condescendere

---

<sup>1220</sup> Ibidem XLII  
<sup>1221</sup> Ibidem XLIV  
<sup>1222</sup> Ibidem LI  
<sup>1223</sup> Ibidem LVII  
<sup>1224</sup> Ibidem LX

fratribus, dixit ei: Pone, quaeso, sagittam in arcu tuo, et trahe. Et fecit sic. Et dixit iterum: Trahe; et traxit. Trahe adhuc; et traxit. Dixit ei venator: Si super mensuram traxero, frangetur arcus. Dixit ei abbas Antonius: Ita est in operibus Dei; si plus a mensura tendimus, fratres cito deficient. Expediit ergo vel ad momentum relaxare rigorem eorum. Haec audiens venator compunctus est; et multum proficiens in sermone senis discessit: et fratres confirmati tum reversi sunt ad locum suum. Haec ergo aliaque testimonia discretionis consideranda sunt a solitariis; et sic omnia temperent atque discernant, ut ipsi nimis fatigati non deficient, et alii a coepto itinere non refugiant.

G43-9<sup>1225</sup> Plerumque daemones in noctibus solitariis occurrentes, ut formidolosos eos faciant, per soporem conturbant; et quos vigilantes intus tentant, nec superant, dormientes acriter impugnant. Nonnunquam autem et aperta impugnatione grassantes humana corpora verberant, sicut beato Antonio fecerunt. Quod tamen, Deo permittente, malorum fit ad vindictam, iustorum vero ad tolerantiam et gloriam.

G43-10<sup>1226</sup> (...) Illi autem senes indicaverunt hoc beato Antonio. Et dixit abbas Antonius: Videtur mihi monachus iste similis esse navi omnibus bonis oneratae, de qua incertum est utrum pervenire possit ad portum an non. Et modicum post subito abbas Antonius flere coepit, et capillos sibi trahere et lugere. Quod cum vidissent discipuli ejus, dixerunt: Quid ploras, abba? Et respondit: Magna Ecclesiae columna cecidit modo. Dicebat autem hoc de illo juvene monacho. Ite, inquit, fratres, ad eum, et videte quid agat. Perrexerunt ergo discipuli ejus, et invenerunt monachum illum sedentem et flentem peccatum quod fecit. Videns autem discipulos senis, ait eis: Dicite seni ut roget Deum, decem tantum dierum dari mihi inducias. Qui intra quinque dies mortuus est. Quapropter caveant omnino solitarii, ut nihil per ostentationem faciant. Insuper autem morbum vanae gloriae fugiant: quae non solum in carnalibus vitiis, sed etiam in spiritualibus causis solitarios pulsant; ut qui non valent carnalibus vitiis decipi, spiritualibus successibus acrius sauciantur. Nam quem diabolus sub specie pretiosae vestis ac nitidae non potest in vanam gloriam immergere, pro squalida et inculta conatur decipere. Et quem non potest per honorem dejicere, per humilitatem supplantat; et quem scientiae et elocutionis ornatu nequit extollere, gravitate taciturnitatis elidit. Si jejunit quis palam, gloriae vanitate pulsatur. Si illud causa vanae gloriae contemnendae contexerit, eodem vitium elationis incurrit. Alius enim oratione, alius vigiliarum prolixitate pulsatur. Multi enim vanam gloriam fugiendo in ipsam incidunt; et multi in hoc ipso cupiunt laudari quod laudes contemnunt; et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. Ideo pulchre sancti Patres nostri naturam morbi huius in modum caepae conscribunt, quae uno decoriata tegmine, alio rursus invenitur induta, totiesque reperitur obiecta quoties fuerit expoliata. Quapropter oportet solitarios, iuxta consilium Apostoli, per arma iustitiae a dextris et sinistris transire; per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam incedere. Et ut per Salomonem dicitur: Non divertant ad dexteram, neque ad sinistram; id est, nec de virtutibus et dextris successibus se extollant, nec ad sinistram vitiorum tramitem flectantur; sed medium tenentes ad ipsum qui via, veritas et vita est, prospero

<sup>1225</sup> Ibidem LXVI

<sup>1226</sup> Ibidem LXVII



incessu pervenire mereantur.

G43-11<sup>1227</sup> Macarium, qui fuit discipulus sancti Antonii (...)

**G44** **Odo (2. Abt) von Cluny, *Collationum libri tres*** **909-927**

G44-1<sup>1228</sup> Beatus quoque Antonius cum a malignis spiritibus ita affectus esset, ut nec vel illorum plagae, vel illius constantia digne considerari posset, tandem portentis illis evanescentibus infusa coelitus luce recreatus dixit: Jesu, ubi eras hucusque? et mox ad eum: Antoni, hic eram, sed exspectabam videre patientiam tuam.

**G45** **Flodoard von Reims, *De triumphis Christi sanctorumque Palestinae*** **936-939**

G45-1<sup>1229</sup> Antonii nomen celebri rumore capessit  
Visere quem fervens, eremum petit, utque positus  
Effectu, solita mutatur veste duobus  
Mensibus, hic juxta recubans atque ardua signans  
Castorum seriem morum normaefue tenorem,  
Quam foret orando assiduus, summissus alumnos  
Excipiens, acerque monens, alacerque cohortans;  
Asperitas qualis huic propositique cibique.  
Ad patriam post haec monachis collega quibusdam  
Defunctis rediens patre iamque et matre, decenti  
Dispensat dimissa sibi patrimonia jure,  
Fratribus et partem, partem largitur egenis,  
Nil sibimet servans. Ter quinos nudus et annos  
Dum regit, arma gerens Christi, deserta subivit,  
Hirto ruralis coopertus tegmine sagi  
Vestem pelliceamque ferens, Antonius illi  
Quam dedit instructo juga ferre suavia Christi.

G45-2<sup>1230</sup> Inde petens eremum, coluit quam Antonius alter  
(Nempe revelatum sibi quod coeli alta subisset),  
Selari fratres, lustrare habitacula certat.  
Delectis sibi subparibus vicina duobus,  
Vasta eremi penetrat, tantumque abstemius illic  
Tamque silens agit, ut primum coepisse professus  
Tunc fuerit servire Deo vitae ordine Christo,  
Cui tot devoto sacrarat tempora cursu.  
Arentes nimio squalebant pulvere glebae,  
Effervensque sitis moribunda obduxerat arva,  
Et vacuarat aquis clausum sola torrida coelum  
Jam tribus ut liquit terras Antonius annis,  
Decessum cujus lugere elementa ferebant.  
Adfore fama volans ubi prodidit Hilarionem,  
Hunc certatim adeunt, ducti passim omnibus agris,  
Lurida tabe famis sternentes ora: colonis

<sup>1227</sup> Ibidem LXVIII

<sup>1228</sup> Odo (2. Abt) von Cluny, *Collationum libri tres* III,39

<sup>1229</sup> Flodoard von Reims, *De triumphis Christi sanctorumque Palestinae libri tres* III,3

<sup>1230</sup> Ibidem III,3

Compatitur pressis senior pietate redundans,  
Utque polo passas gemino cum lumine palmas  
Erexit, os reserans, largos mox exhibet imbres.

- G46**      **Aimoin von Fleury, *Sermo in festivitibus Sancti Benedicti***      **1005**  
G46-1<sup>1231</sup>      Benedictus, ob diaboli despectum, unum tantummodo seni ab eo venato incussit colaphum, et continuo reddidit sanum. Antonius inter anachoretas eximius, animam Pauli eremitaie primi vidit ab angelis ad coelum ferri: (...)
- G47**      ***Notae Tegernseenses***      **10. Jh.**  
G47-1<sup>1232</sup>      Reliquie sancti Martini episcopi, sancti Antonii heremitaie, sancti Sabae heremitaie, Malchi pueri.
- G48**      **Othloh von St. Emmeram, *Libellus de tentationibus / Dialogus de suis tentationibus (pars prima)***      **1032-1062**  
G48-1<sup>1233</sup>      Attende itaque in duos venerandos Patres et spiritualis vitae doctores, sanctum videlicet Antonium ac beatum Benedictum, quorum tanto facilius potes recordari, quanto magis ex lectione assidua tibi sunt noti. Illorum ergo vitam legens, cito potes cognoscere quantam uterque pertulerit afflictionem pro Dei amore, quam devote, inprimis cum adhuc iuvenilis essent aetatis, mundana reliquerunt omnia; quantas deinde diaboli sustinuerint insidias et tentamenta. Unus namque eorum, id est beatus Antonius, a quo etiam omnis fere exorta est eremitarum et coenobitarum institutio, tanta conversationis sanctitate pollere coepit, ut ex hoc antiquus hostis invidiae facibus omnimodis accensus non solum spiritualibus et invisibilibus eum impugnaret insidiis, verum etiam corporalibus atque apertis afficeret plagis. Sed et alter nihilominus Dei gratia repletus, maxima sanctitatis suae monimenta tam scriptis quam moribus reliquit. Quid multa?
- G49**      **Leo IX, *Libellus de conflictu vitiorum atque virtutum***      **1049-1054**  
G49-1<sup>1234</sup>      (...) si enim ita est, ut asserunt: ergo quotquot ex Romanis conversi apud Romanos degunt; quotquot ex Graecis apud Graecos; quotquot ex Italis apud Italos; quotquot ex Gallis apud Gallos; quotquot ex Hiberis apud Hiberos; quotquot ex Germanis apud Germanos; quotquot ex Aquitanicis apud Aquitanicos; quotquot ex Britannicis apud Britannicos; quotquot ex Anglis apud Anglicos religiose vivunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus et Antonius ex Thebaeis apud Thebaeos perfecti sunt. Ecce Hylarion ex Palaestinis apud Palaestinos perfectus est. Ecce Macharius ex Aegyptiis apud Aegyptios perfectus est. Ecce Oxirinchus civitas ex propriis civitatibus tota perfecta est. Ecce, ut ad vicinos nostros veniamus, Protasius et Gervasius in propria hac Mediolanensi civitate, propriaque domo manentes, ac per decem annos monachorum vitam exercentes, ita perfecti fuerunt, ut martyres fierent

<sup>1231</sup> Aimoin von Fleury, *Sermo in festivitibus Sancti Benedicti* (PL 139, 869).

<sup>1232</sup> *Notae Tegernseenses* (Seite 1068, Zeilen 14-15)

<sup>1233</sup> Othloh von St. Emmeran, *Libellus de tentationibus / Dialogus de suis tentationibus (pars prima)* (PL 146, 45-46)

<sup>1234</sup> Leo IX, *Libellus de conflictu vitiorum atque virtutum* 25

- G50**      **Petrus Damiani, *Invectio in episcopum monachos ad saeculum revocantem* 1051**  
 G50-1<sup>1235</sup> (...) Verumtamen dic, obsecro, quis sanctorum, quis antiquorum patrum sub hac quam insolenter asseris probatione conversus est? Numquid Antonius? Numquid Paulus? Numquid Hylarion? Numquid et ipse sanctus Benedictus, qui ista, sicut tu falleris (...)
- G51**      **Petrus Damiani, *De institutis suae congregationis* 1057**  
 G51-1<sup>1236</sup> (...) Huius itaque vitae normam, ut anteriora praeteream, in veteri Tetamento Helias coepit, Eliseus vero aucto discipulorum collegio dilatavit. In novo autem Paulus et Antonius non dissimili ab his invicem proportionem creduntur. Dum constet iuxta fidem gestorum, quod et Paulus in heremo singulariter vixit, et plures Antonius in hac professione discipulos enutrivit.  
 G51-2<sup>1237</sup> Quod dicere gestio, tale est: cum in afflictione ieiunii, in censura silentii, in abiectae vestis asperitate Antonium praebes, in levitate risus, vel facetae dicacitatis urbanitate Democritum non ostendas.
- G52**      **Petrus Damiani, *De fuga dignitatum ecclesiasticarum* 1064**  
 G52-1<sup>1238</sup> (...) Sit licet sanctus, sit omnium virtutum nitore conspicuus; illis tamen naturae muneribus carens, si Antonius deducatur, consona omnium voce indignus electione decernitur.
- G53**      **Petrus Damiani, *De sancta simplicitate scientiae inflanti antependenda* nach 1064**  
 G53-1<sup>1239</sup> (...) Litteras et Martinus ignorat, sed hic fatuus et imperitus perditas trium mortuorum animas ab inferis revocat. Antonius non rhetoricatur, sed toto conspicuus orbe, litteris, ut ita loquar, uncialibus legitur. Hylarion Platones et Phitagoras proicit, unoque contentus evangelio, in sepulchralis se cellulae antro concludit (...)
- G54**      **Petrus Damiani, *Epistulam ad I. Abbatem* 1067**  
 G54-1<sup>1240</sup> Hylarionem dimittit Antonius, ut solus altiora conscendat. Nos autem diligimus monachos sicut asinos, vel certe sicut servos. Amant enim homines haec animalia, non illis sed sibi, ut ea videlicet aut in suam transferant carnem, vel ut eorum fruantur auxiliis ad laborem. Amant haec homines, ut ipsi bene sint, illa vero, aut non sint, aut male sint. Nos etiam ut potiamur duntaxat obedientia monachorum, salutis eorum omnino parvipendimus incrementum.
- G55**      **Humbert von Silva Candida, *Adversus Simoniacos* 1058**  
 G55-1<sup>1241</sup> [Der Text ist nicht Komplet überliefert worden. Antonius wird nur erwähnt im Inhaltverzeichnis] De cautela B. Antonii et visione eius

---

<sup>1235</sup> Petrus Damiani, *Ep.* 38,8

<sup>1236</sup> Idem *Ep.* 50,2

<sup>1237</sup> Idem *Ep.* 50,2

<sup>1238</sup> Idem *Ep.* 105,2

<sup>1239</sup> Idem *Ep.* 117,5

<sup>1240</sup> Idem *Ep.* 152

<sup>1241</sup> Humbert von Silva Candida, *Adversus Simoniacos* Tab.

- G56**            **Guitmund von Aversa, *Oratio ad Guillelmum I Anglorum***            **1065-1073**  
 G56-1<sup>1242</sup>    Liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius et Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias mundi, quas Cresus et Sardanapalus nimis amaverunt, et postmodum misere pereuntes, hostibus suis deseruerunt.
- G57**            **Othloh von St. Emmeram, *Liber de cursu spirituali***            **1067-1079**  
 G57-1<sup>1243</sup>    Deinde vero oportet considerare quantum aliis in afflictione carnis et in omni contemptu vitae hujus sponte laborantibus succumbas. Attende itaque in duos venerandos Patres et spiritualis vitae doctores, sanctum videlicet Antonium ac beatum Benedictum, quorum tanto facilius potes recordari, quanto magis ex lectione assidua tibi sunt noti. Illorum ergo Vitam legens cito potes cognoscere quantam uterque pertulerit afflictionem pro Dei amore; quam devote in primis, cum adhuc juvenilis essent aetatis, mundana reliquerint omnia; quantas deinde diaboli sustinuerint insidias et tentamenta. Unus namque eorum, id est beatus Antonius, a quo etiam omnis fere exorta est eremitarum et coenobitarum institutio, tanta conversationis sanctitate pollicere coepit ut ex hoc antiquus hostis, invidiae facibus omnimodis accensus, non solum spiritualibus et invisibilibus eum impugnaret insidiis, verum etiam corporalibus atque apertis afficeret plagis. Sed et alter, nihilominus Dei gratia repletus, maxima sanctitatis suae monumenta tam scriptis quam moribus reliquit. Quid multa? Quidquid afflictionis, quidquid constat laboris in vigiliis et in jejuniis, vel in solitudinis horrore et in vestimenti abjectione, seu in desideriorum carnalium devincenda passione, vel in omnigenis insidiae diabolicae dolis superandis, eosdem invenies diu tolerasse, antequam ad arcem perfectionis, qua plurimis praeferendi erant, pervenirent. Haec igitur, quaeso, diligenter animadvertite, et tantas Patrum praenominatorum afflictiones ad tuas, quas tu interdum insolitas arbitraris, confer tribulationes; et tunc procul dubio cognosces quia parvi fiunt quos modo vel unquam pertulisti dolores, quamvis iidem Patres nullatenus, sicut tu, pro criminum capitalium poenitentia mererentur affligi.
- G58**            **Gregorius VII, *Brief an Bischof Hermann von Metz***            **15. März, 1081**  
 G58-1<sup>1244</sup>    Namque ut e apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum eque ut beatus Martinus, Antonius et Benedictus miraculis claruit?
- G59**            **Bruno von Magdeburg, *Saxonicum bellum / De bello Saxonico***            **um 1082**  
 G59-1<sup>1245</sup>    Namque ut de apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum aequae ut beatus Martinus, Antonius, et Benedictus miraculis claruit?

---

<sup>1242</sup> Guitmund von Aversa, *Oratio ad Guillelmum I Anglorum* (PL 149, 1512)

<sup>1243</sup> Othloh von St. Emmeram, *Liber de cursu spirituali* 24

<sup>1244</sup> Gregorius VII, *Ep.* VIII,21

<sup>1245</sup> Bruno von Magdeburg, *Saxonicum bellum / De bello Saxonico* (Seite 73, Zeilen 19-21)